CHRISTOPHOR
FORSTNERI AV
ad
C.C. TACITVM
Notarum
Politicarum
Continuatio

LVGDVNI BATAVORVM
Apud Franciscum Moyardum




CHRISTOPHORI FORSTNERI
AUSTRII,
Ad Libros Annalium XI. XII. XIII,
C. CORNELII TACITI,
NOTÆ POLITICÆ,
Quæ sunt
CONTINUATIO
Notarum Politicarum
Ejusdem
AUTHORIS,
Ad sex libros priores.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud FRANCISCUM MOYARDUM.
MDCLII.








SERENISSIMÆ ET POTENTISSIMÆ PRINCIPI.

DOMINÆ

CHRISTINÆ,

Suecorum, Gothorum, Vandalorum

REGINÆ. &c.

Perpet. Felicit.

NEque mihi, Serenissima REGINA, docendæ isto libello civilis sapientiæ ambitio fuit, neque

 Tibi

Tibi magiſtro opus : ſatis amplis doctoribus inſtructæ; majoribus tuis, & Regum maximo, Divo patre tuo. Sed cum aliquam ad te uſque mei notitiam perveniſſe, certis nunciis haut ita pridem didiciſſem : (cætera dicere, quanquam ad gloriam tuam pertinet, tamen modeſtia mea non patitur) ſtatim cogitavi, quo donario Majeſtatem Tuam colerem. Nihil autem iſtâ rerum mearum

tenuitate occurrit, quam SPECULUM tibi offerre, haut paullo nitidius, quam quod mundum tuum inſtruit Quicquid in opere iſto prudentià & virtute eximium occurrit, exemplo Tuo, quam ullis veterum aut recentiorum factis efficacius doceri potuit. Sed hic panegyrico locus non eſt. Habes, DOMINA, magnum Virtutum Tuarum præconem, orbem terrarum; & conſentientem

humani generis famam, *eodem utero Virtutem natam* & CHRISTINAM. Quam vocem paulo poſt excipiet, longoque plauſu proſequetur Hiſtoria quæ quantacunque vel ubertate Livium, vel Tacitum gravitate exprimet; longè tamen infra Tuorum geſtorum magnitudinem poſita, malignitatis quam adulationis cenſuram ſæpius experietur. Vale. Mombeligardi in Sequanis.

Cal. Maji. Ann. Chr. cIↃIↃc LI.

MAJESTATEM, & in illa VIRTUTEM Tuam

Humilimâ reverentiâ colens

C. FORSTNERUS.

LE-

LECTORI MEO.

S. P.

COeptum juvenilibus annis, longo dein tempore intermissum laborem, vergente in senium ætate resumo; bono publico; (ita voveo, speroque:) & curarum, negociorumque meorum molestiis levandis. Cæterum, quod nec olim, editis ad priores sex Annalium Taciti libros Notis feci, ut, qui multorum mos est, arreptis undique occasionibus moralis

ralis philoſophiæ præcepta cumularem; id nec in his libris factum ipſe, Candide lector, obſervabis. Continui me perpetuo intra civilis diſciplinæ ſepta: quæ propriis opibus dives, peregrinis mercibus non egebat: Illud tantummodo priſtini, atque hujus conatus diſcrimen eſt, quod veteris ævi ſcriptores mihi juveni tractanti, ex omni terrarum orbe, & ab ultimis uſque temporibus petere operis materiam, ſi non ad legentis profectum, tamen ad ingenii laudem, & variæ le-

lectionis gloriam pertinere videbatur. Provectior ætas, cum præter recentis historiæ cognitionem, multarum me rerum experientiâ instruxisset, non ultra famæ, sed soli lectoris utilitati inservire jussit. Igitur reconditos Taciti verosque sensus ex illa caligine, qua eos sive rerum obscuritas, sive auctoris affectatio involvit, in lucem producere, & productos utplurimum recentioris, neque raro nostri ævi exemplis illustrare, una mihi cura, unumque studium fuit:

fuit: in quo duorum præstantissimorum virorum amica judicia secutus sum: quorum alter (a) *in commentationib. politicis texendis Consalvos, Davalos, Foxios, Arausionenses, Spinulas sæpius quam Scipiones & Camillos, & frequentius Ambosios, Ximenios, Richelios, quam Agrippas, Sallustios, Mecœnates in consilium vocandos judicabat: alter* (b) *publico scripto, cum aliud non haberet, quod reprehenderet, gloriosam mihi nimiæ*

(a) Scipio Scaliger. le Chevalier de l'Escale.
(b) Gabr. Naudæus in bibliograph. polit,

miæ eruditionis contumeliam impegit. Si finem, quem proposui, assecutus non fui, facile veniam dabis homini, cui immensa negociorum mole, & perpetuis peregrinationum laboribus distracto secum & cum libris habitare rarissime concessum fuit. Sin ista placuisse sensero, non cessabo, horas aliquot de reip. procuratione decerpere, quas continuando operi impendam. Vale.

AD ILLVSTREM

TACITI Illuſtratorem,

Hoſpitem ac Patronum meum.

IN Tacito Tacitum vetus ignoraverat ætas,
Dum male defoſſas neſcia ſprevit opes.
In Tacito Tacitum curæ agnovere recentes,
Dum bene defoſſas eruit unus opes.
Stat pulchri ſpecies operis, moliſque vetuſtæ
Relliquiæ, è merſâ naufraga cymba rate,
Conquirunt alii tabulas, & inania tractant
Signa, alii funes ſciſſaque vela legunt.
FORSTNERUS *vana nil captus imagine pōpæ*
Ingenio exhaurit nobiliora ſuo.
Excutiant apices reliqui ac loca hiantia captēt,
Et, quod in externo cortice vile, petant;
Iſte labor Taciti ſcrutatur viſcera, non eſt,
Hoc ſine cur ejus noſcere ſcripta velim.
Hæret in objecta vulgaris inertia larva,
Et ſpeciem tantum ſolaque verba notat,
Altius immergit magnam ſolertia mentem,
Rimaturque ſinus, & loca clauſa ſubit.
Hinc opus effectum, juſtique voluminis inſtar
Provocat exemplo tempora noſtra ſuo.
Excipit has curas læto res publica plauſu,
Et fallax artes hic legit aula ſuas,

Liber-

Libertas moriens, domini inde, & cetera servis,
Regia vis, specie Principis, usque latens;
Iura, patres, populus, famulæ solatia turbæ,
Et jam sublatæ nomina vana domus;
Continuæ cædes, properataque funera, virtus
Invisa, & summum, gloria magna, nefas;
Sanguine Majestas sacrata, extrema Tyrannis,
Dedecus occulte, publicitusque pudor;
Imperii casus & segnia bella, nec armis
Parthe aut Teuto tuis pax metuenda minus
Annales Taciti replent, ubi pleraque clari
Materies operis nil nisi triste refert.
Sed juvat oppressæ discrimina noscere Romæ,
Et regnatricis prodita sacra domus.
Quæ Taciti memorata fide FORSTNERE *recenses,*
Et referas studiis intima quæque Tuis.
Scriptori sua forma redit, cultumque priorem
Auspiciis repetunt tam bona scripta Tuis.
Explicat obscuros Tacitus Te interprete sensus,
Et sæpe in doctis quæritur ipse NOTIS.
Non illum credo melius potuisse juvari,
Lux deerat, lucem Te tribuente capit.
Hinc Tuus, ac famam Tecum partitus & ævi
Quam dederas lucem reddidit ille TIBI.

Observantiæ testandæ
Scripsit
JOANN. ALBERTUS
Forstnerus.

CHRI-



CHRISTOPHORI FORSTNERI, Ad C. CORNELII TACITI Annalium librum undecimum, NOTÆ POLITICÆ.

CAP. I.

HOrtis inhians, quos ille à Lucullo cœptos insigni magnificentiâ extollebat, Suilium accusandis utrisque immittit] Sub malis Principibus, etiam sub ignavis, quorum facilitas hiantes amicorum cupiditates intendit, (a) opes pro crimine sunt (b). Nam præter cupiditatem aliena habendi, etiam instillant auribus & animis principum calumniatores aulici, auri vim atque opes principibus infensas (c). Quo prætextu

(a) *Tac.* 1. *hist.* 12. (b) 1. *hist.* 2.
(c) 11. *annal.* 1.

Valerium Aſiaticum Meſſalina perdidit, illius hortis inhians: *(a)* & Sextus Marius, Hiſpaniarum ditiſſimus falſo crimine ſaxo Tarpejo dejectus fuit. ac ne dubium haberetur, magnitudinem pecuniæ malo vertiſſe, aurarias ejus, quanquam publicatas ſibimet Tiberius ſepoſuit *(b)*. Et Mucianus cogendis pecuniis intentus, non jus aut verum in cognitionibus, ſed ſolam magnitudinem opum ſpectabat. paſſim delationes: & locupletiſſimus quiſque in prædam correpti *(c)*. Cum Marius & Sylla patriam lacerarent, ſævitiæ cauſam avaritia præbuit, & modus culpæ ex pecuniæ modo conſtituebatur; & qui fuiſſet locuples, fiebat nocens, ſuique quiſque periculi merces: nec quicquam videbatur turpe, quod eſſet quæſtuoſum *(d)*. Equitibus Hieroſolymitanis, quos vulgus Templarios appellabat, magnitudinem opum exitio vertiſſe plures aſſerunt *(e)*. Patrum memoriâ Pius IV. Pontifex Aſcanium Cornium, Cornelium Bentivolium, Joannem Franciſcum,

(a) *ibid.* (b) 6. *annal.* 19. (c) 2. *hiſt.* 84. (d) *Vellej. Paterc.* 2. *hiſt.* (e) *Bodin.* 3. *de rep.* 7. *Lipſ. in Monit. Naucler. volum.* 2. *gener.* 44. *Hartm. Schedel. Chron. pag.* 222. *Paul. Æmyl. lib.* 8. *hiſt. Franc. Nicol. Vigner. Chron. Eccleſ. ad ann.* 1310. & 1311.

ciſcum, Balnei Comitem, Vitellios & Ferrariæ ducem litibus vexavit, quo condemnatis aut tranſactione moleſtiam redimentibus numos extorqueret, Altemſiis & Borromæis propinquis ditandis *(a)*. Et nuper Vrbanus VIII. Pontifex, ac Barbarini eadem cupiditate, atque iiſdem artibus Caſtrum Parmæ duci erepturi credebantur. Quæ quanto frequentiora ſunt, tanto laudabilior eſt Georgii Cardinalis Amboſii continentia, quam, qui vitam ejus linguâ Gallicâ ſcripſit, *Michaël Bauderius*, ſequentem in modum recitat. Poſſidebat Nobilis quidam prædium avitum, & in illo domum, quæ condicionem ejus minime dedecebat, vicinam Galliono; quo ſeceſſu Cardinalis gaudebat, quoties animum curis atque negotiis fatigatum otio relaxare vellet. Aderant prædii domino, quæ plurimis ex Nobilitate; plures liberi, & arcta res familiaris. quæ illum ratio impulit vendendi, quod retinere non poterat. Igitur conſilium aperit vicino ſuo, præcipuum in Cardinalis gratia locum obtinenti. Is lætus deferre rem patrono gratam, paulo poſt juſſu Cardinalis adducit hominem tanquam de pretio conventurum. Itur, prandetur: poſt prandium Cardina-

 lis

(a) *Io. Baptiſt. Hadrian.* 12. *hiſt.*

lis hospitem in interiores ædes deductum familiariter monet, ne agrum, & ædes, in quibus majores ipsius consenuissent, ipse natus esset, cuiquam pretio addiceret. Illo domesticam inopiam, nubilem filiam, dotis necessitatem obtendente, Cardinalis satius esse, mutuo sumere numos, quam vendere fundum ajebat. Et postquam Nobilis fœnoris ingluviem, damnaque bono patrisfamiliâs cavenda objecisset; Cardinalis, quid autem? inquit, Si quis tibi gratis & sine usuris numos crederet, nec, nisi cum commodum fuerit, restituendos? Cui Nobilis ex imis præcordiis ducto suspirio, istiusmodi amicitiæ officia seculi mores non admittere, respondit. At ego, Cardinalis ait, talis tibi ero. & cum dicto pecuniam, quanta necessitati sufficeret, homini numerari jussit.

Adjungitur Sosibius Britannici educator] Infaustam plerunque istiusmodi hominum in rep. gerenda, consiliisque dandis operam fuisse docebo ad librum XIII (*a*).

Auri vim atque opes principibus infensas] Oratio digna sycophantâ aulico, qualis Sosibius erat: qui, quod cupiditas & avaritia erat, curam salutis & securitatis Principis credi volebat. Verum est, auri vim atque opes,

(a) *cap.* 14.

opes, tanquam depellendæ tyrannidis instrumenta, tyrannis infenſas eſſe: quod vel ſolius Dionis Syracuſani exemplo ſatis comprobatur: *(a)* at falſum eſt, opes atque divitias bonis & præclaris principibus exitioſas: *(b)* uti neque nobilitatem, geſtos honores, crebra comitia, quæque alia tyrannis ſuſpecta & inviſa eſſe ſolent. Neceſſe eſt odio aut contemptu laboret apud cives, in quo ambitionis & pravorum conſiliorum tela hærere debent. Cui conſequens eſt, rarius incurrere pericula à ſubditorum ambitione, qui ſucceſſione aut electione regno admoventur: ſæpius, qui jus ſuum armis aſſerere ac tueri coacti fuerunt. Nam hi odium, (injuſtum quantumvis) & odii pericula vix effugiunt. ſemper metuunt, qui (tametſi neceſſitate coacti) alios offenderunt. Vt à metu ac periculis tutus ſis, cuſtodibus corporis, (interdum externis) caſtellis, tributis, quæque alia popularibus gravia, inſolita, ingrata, opus eſt *(c)*. Ita offenſa metum, metus novas offenſas generat. Quod Henrici VII. Angliæ Regis hiſtoria egregie docet. Da mihi ergo Principem, quem nec odio

(a) *Vid. Corn Nepot. & Plutarch. Dion.* (b) *v. Forſtn. Not. ad* 4. *annal. c.* 72. (c) *deſcripta à Franciſco Bacono Angliæ Cancellario.*

habeant, ut sævum aut avarum, nec contemnent, uti stupidum, stultumque cives; & dabo tibi subditos faciles, obedientes, ac per omnia morigeros. Etenim valde profecto absurdum est, principes amorem & obsequium à subditis seu sperare, seu exigere beneficio nullo obstrictis, sed neglectu, avaritiâ, crudelitate exasperatis. Vicissim improbe cives & impudenter sui tutelam, amorem, curamque exigunt à principe, quem contumaciâ irritaverint. Vt proinde certissimum sit, bono & benefico principi, & qui prudentiæ simul civilis ac militaris laude floreat, dociles ac morigeros cives contingere: malum sævis moribus imputare debere, si carnificinæ impatientiâ subjecti jugum excutiant.

Illud præterea observatione non indignum est, nimias opes periculosiores esse in liberâ republ. quàm in principatu: quia ibi æqualitatem civilem enormiter excedunt; hîc principis fortunam non attingunt. Sed ibi quoque corruptam moribus rempub. esse præsupponi debet, ut si adsit emptor, præsto sint, qui patriæ libertatem vendere velint. Potuit Cæsar in corruptâ Republ. quod Spur. Melius in sanâ & valente irrito conatu tentavit.

Quando genitus Viennæ, multisque & validis

lidis propinquitatibus, subnixus turbare gentiles nationes promptum haberet] Quod modo de opibus ac divitiis dixi, id de potentia quoque subditorum dici debet, illis tantum principibus metuendam, qui odio, merito, immeritove, nihil interest, contemtuque, injuriis & periculis obnoxii sunt. In his verum est, quod Tacitus dixit *(a)* nunquam satis fidam potentiam esse, ubi nimia est: & quod Galeatius Guaìdus; *(b)* principem non habere capitaliores hostes, quam potentes subditos: & Franciscus Baconus; *(c)* à magna Nobilitate splendorem Principi addi, potentiam diminui. Sine his exanime cadaver est reliqua populi fæx. hi anima sunt omnium, quæ in republ. honeste, vel secus geruntur. hi obsequii & fidei popularium sponsores, hi proxenetæ; iidem ventorum, quibus mare illud populare tumescit, Æoli; quorum nutu vel incenduntur, vel detumescunt seditionum, rebellionumque procellæ. Talem Claudio Sosibius exhibuit Valerium Asiaticum, qui genitus Viennæ, multisque & validis propinquitatibus subnixus turbare gentiles nationes promptum haberet.

 Talem

(a) 2. *hist.* 92. (b) *lib.* 25. *hist.* (c) *oper. politici. & moral. cap.* 28. *adde Savedr. Symb. polit.* 17.

Talem in historia describunt apud Belgas Guilielmum Arausionensem Guido Cardinalis Bentivolius, *(a)* Famianus Strada, *(b)* Hieronymus Conestaggius, *(c)* & Nicolaus Burgundius *(d)*. Ejusmodi auris popularibus nuper provectus Joannes Brigantiæ Dux, Lusitaniæ sceptrum Philippo Regi eripuit *(e)*. Hi tales beneficio vel metu obligandi sunt, ut regiarum esse partium, quam popularium malint, quòd tamen præcipi, quam obtineri promptius est. Nuper *(f)* Hispaniæ Rex Cardinalem Trivultium, nimiâ apud populares gratiâ, ac potentiâ suspectum, specie honoris Mediolano Madritum eo consilio evocavit, ut præceptis parentem ab amicis & clientibus avelleret; reluctantis contumaciam publicatione amplissimarum facultatum castigaret *(g)*. Paullo ante *(h)* Galli Philippum Aglium suis consiliis apud Sabaudiæ principem viduam adversum Augustæ Taurinorum inter sacra mensæ & saltationum ludicra noctu captum evestigio Pinarolum

(a) *Relat. de Belg. feder. lib. 2. cap. 2. & hist. Belg. lib. 1.* (b) *1. hist. bell. Belg.* (c) *hist. bell Belg* (d) *hist. bell. Belg.* (e) *Victor. Sir. hist. tom. 1. lib. 1. p. 119.* (f) *Ann. 1642.* (g) *Victor. Sir. hist. tom. 2. lib. 2. p. 884.*
(h) *Ann. 1641.*

rolum abduxerunt; retento eodem tempore clausoque in arce Comite Ludovico, Philippi patruo, & reliquis ex familia, ne quas apud populum Philippi amantissimum turbas suscitarent, alio migrare jussis (*a*).

Claudius nihil ultra scrutatus] Vti mos est ignavorum principum, nihil eorum, quæ fiunt, anquirentium, brevi auditu quamvis magna transeunt; impares curis gravioribus (*b*).

CAP. II.

NEque datâ Senatus copiâ, intra cubiculum auditur] Vide quæ dicemus ad XIII (*c*). & XV (*d*). Annal.

Messalinæ quoque lachrymas excivit &c.] Crocodyli lachrymæ (*e*).

Adeo ignaro Cæsare, ut &c.] Propudium Principis! stipes! caudex!

CAP. III.

FLens Vitellius, commemoratâ vetustate amicitiæ &c. *dein percursis Asiatici in Remp. officiis*, &c. *quæque alia concilianda misericordiæ videbantur, liberum ei mortis*

 arbi-

(a) *Galeat. Guald. hist. lib.* 26. (b) *Tacit.* 2. *hist.* 59. (c) *cap.* 4. (d) *cap.* 61. (e) *v. Piccart. Observat. dec.* 3. *cap.* 1.

arbitrium permisit. & secuta sunt Claudii verba in eandem clementiam] Clementiam, quæ dum misereri videretur, quam maxime sævit. Illam ego olim atro calculo damnavi in Notis ad primum Annalium (*a*). Quo pertinet Suetonii locus de Domitiano Cæsare: (*b*) qui nunquam tristiorem sententiam sine præfatione clementiæ pronuntiavit: ut non aliud certius atrocis exitus signum esset, quam principii lenitas. Quosdam Majestatis reos in curiam induxerat: & cum prædixisset, experturum se illâ die, quam carus Senatui esset, facile perfecerat, ut etiam more majorum puniendi condemnarentur. dein atrocitate pœnæ conterritus, ad leniendam invidiam intercessit, his verbis: permittite, Patres Conscripti, à pietate vestrâ impetrari, quod scio me difficulter impetraturum, ut damnatis liberum mortis arbitrium indulgeatis. Nam & parcetis oculis vestris, & intelligent me omnes Senatui interfuisse.

Tantum illi securitatis novissimæ fuit] Illius insigne exemplum refert de Theodoro Cyrenæo Valerius Maximus (*c*). De Henrico Ratisbonensi Episcopo narrat in Annalibus Bojis Andreas Brunnerus, quotannis

(a) *p.* 119. (b) *Sueton. Domit. c.* 11.
(c) 6. *dict. fact. mem. cap.* 2. *fin.*

annis ſibi parentari vivo juſſiſſe, nullâ re prætermiſsâ in Juſtis Pontificiis uſurpari ſolitâ: Sacris ipſum adſtitiſſe, leſſumque ſibi cantantes audiviſſe, non aliter, quam ut vivi hominis umbram. Tumulum duodecimo, quam illum ſubiret, anno, apertum pro palatio amaſſe, velut propriam domum, & liberam curis (*a*).

CAP. IV.

NOcturna quietis ſpecies objecta: & haut ambigitur, qualicunque inſomnio ipſi fratrique perniciem allatam] Majeſtatis crimen, omnium calumniarum coagulum, omnium accuſationum complementum, (*b*) vinculum ac neceſſitas ſilendi (*c*), ubi per vera delicta ſæviendi materiem non habet, vana innocentiæ impingit, ſtolida, frivola; ſi mollius accipias, miſeranda (*d*). Granio Marcello objectum, ſtatuam ejus altius, quam Cæſarum ſitam: & alia in ſtatua, amputato capite Auguſti, effigiem Tiberii inditam (*e*). Torquatus Silanus à Nerone mori adactus fuit, cui accuſatores objectabant, prodigum largitionibus; nec

(a) *lib.* 15. (b) *Tac.* 3. *annal.* 38. (c) *Tac.* 3. *annal.* 67. (d) *Tac.* 2. *annal.* 30. (e) *Tac.* 1. *annal.* 74.

aliam ſpem quàm in novis rebus eſſe. Nobiles habere, quos ab epiſtolis, & libellis & rationibus appellet;nomina ſummæ curæ & meditamenta (*a*). Pompoſianus à Domitiano interfectus, quod habere imperatoriam geneſin vulgo ferebatur,& depictum orbem terræ in membranis, concioneſque regum ac ducum ex T. Livio circumferret: quodque ſervis nomina Magonis & Hannibalis indidiſſet (*b*). Veſtinus conſul à Nerone occiſus eſt, quod imminentes foro ædes, decoraque ſervitia, & pari ætate habebat (*c*). Junio Blæſo exitio fuit,quod ægro principe lætos dies ageret (*d*). &c.

Quod Britannicum præceptis, Claudium conſiliis juvaret] Vid. Noſtra ad XIII (*e*).

CAP. V.

Uncta legum & magiſtratuum munia in ſe trahens princeps, materiam prædandi patefecerat.] Hic locus ad illa pertinet, quæ dicam ad XIII (*f*).

Necquicquam publicæ mercis tam venale fuit,

(a) *Tac.* 15. *annal.* 35.. (b) *Sueton. Domit.*
(c) *Tac.* 15. *annal.* (d) *Tac.* 3. *hiſt.* 38.
(e) *cap.* 14. (f) *cap.* 4.

fuit, quam advocatorum perfidia] V. Noſtra ad ſecundum annal. (*a*)

Cujus de potentia & exitio. &c.] Acute iſta duo conjunxit Tacitus, *potentiam* & *exitium*. Extrema potentiæ exitium occupat.

CAP. VII.

NIhil à quoquam expeti, niſi cujus fructus ante præviderit] Quippe ita humani ingenii condicio fert, utilibus magis, quam honeſtis moveri: neque vitam, ſanitatem, facultates, alienis utilitatibus commodare, niſi cum fœnore vidi. Riſique ſæpe hominum quorundam à magiſtris muſteorum ineptiam, qui ſub primum in Aulam adventum in veterum miniſtrorum turpilucri cupiditatem ac ſordes (ita appellabant mercedum ſalariorumque petitiones) Scholaſticâ arrogantiâ declamabant, nihil aliud quam honorem, exiſtimationem ſui dominique, opum præterea contemptum ineptiſſimâ gravitate crepantes. Sed poſtquam conjugii vinculis irretitis anno evoluto parvulus aulâ luderet Æneas: ilico

—— *incoctum generoſo pectus honeſto*

defervefcere, & qui paullo ante plus quam philoſo-

(a) *pag.* 220. *& ſeqq.*

philoſophico ſupercilio opes, vitæ ſubſidia deſpectaverant, ſupra cæteros Suilii & Coſſutiani argumentis ſalaria importuniſſime flagitabant. Profecto fides & dexteritas miniſtri nullo pretio & præmio æſtimari poſſunt: quod utcunque magnum vix unquam meritis reſpondet. Sæpe regis regnique ſalus, conſiliis, curæ, ſolicitudini, vigiliis miniſtri debetur, meritum, quod nulla ſalaria æquant. Etiam illud rerum dominis conſiderandum eſt, raræ felicitatis eſſe, unum ingenio ac prudentiâ magnum virum famulum habere: his contra facile dominos plures offerri ex quibus, qui pinguiorem condicionem obtulerit, plerunque præferri.

CAP. VIII.

SUmmaque imperii ambigua, minorâ ſine cura haberi.] Similis Taciti ſententia extat primo hiſtoriarum. Converſis ad civile bellum animis externa ſine cura habentur. & altera quarto annalium: ubi pavor internus occupaverat animos, nullam in eo Senatus curam, ſi extrema imperiî dehoneſtarentur. Armis parta, juſto imperio, moderatione præſidum, & magiſtratuum, etiam caſtellis, præſidiis, ac præſidia ſtipen-

ſtipendiis ſervantur: quæ cuncta negliguntur apud exteros, rebus domi turbatis. Huic conſequens eſt illa demum imperia, illaſque reſp. quæſita armis aut pecuniâ tueri, quæ domi quietem nullis ſolicitatam turbis habent. Illas contra, quæ ſive inſitâ ingenii levitate, ſive irritatæ motibus & mutationibus agitantur, facile partis excidere. Quam rationem à prudentibus reddi videmus, cur Galli quærendis quam retinendis provinciis meliores ſemper habiti fuerint.

Irâ magis quam ex uſu præſenti accenſus] Principem non amore, non odio, niſi quæ regno conducant, abripi debere, ad XIII. *annal.* (*a*) docui. Eadem iræ atque indignationis, quæ amoris ratio eſt: quam in poteſtate habere oportet eum, qui magnis rebus intentus eſt; ne, dum illi indulget, has evertat. Iſtâ prudentiâ, cum Hannibalianis temporibus, Romani duce L. Poſtumio Prætore magna quoque clade à Gallis affecti fuiſſent, Conſul in Senatu diſſeruit; cum ab Hannibale jugulum Reip. foderetur, illic ſcuta objicienda eſſe. reliqua vulnera interim diſſimulatione tegenda. perituros Romanos, ſi tantum audeant, quantum dolor & ira ſuadeant (*b*).

Impru-

(a) *c. 12.* (b) *Andr. Brunner. 2. ann. Bojor. ex Liv.*

Imprudenter ex diverso Ludovicus XII. Galliæ Rex, cum pertinacissimos hostes suos, Helvetios stipendiorū levi augmento sibi conciliare posset, veteri odio & indignatione abreptus tributarium se Helvetiis fore negavit (*a*). Duæ parvæ res parvi animi hominem perdunt; exigua victoria, & exigua jactura. illa securum facit, hæc iratum. Securus omittit, quod habere se putat, perditque quod acquirere poterat. iratus in casum dat, quod amisisse se putat, & nondum amiserat (*b*).

Implicatur obsidione urbis validæ] Validarum urbium arciumque obsidia sunt currentium Victoriarum remoræ, & magnorum exercituum sepulchreta. Quod olim monui ad secundum Annalium (*c*). Hic scopulus est, quem omnes notant, & nemo satis cavet. Agmini exemplorum, quæ retulimus, addendum, Pictavii obsidionem Colignii & sociorum ingentem tum temporis exercitum inutilem reliquo belli reddidisse (*d*). Eundem errorem à Cardinali Lotharingo notatum, & Hugonotis objectum, paullo post Regii errarunt, cum post victoriam Moncontürensem,

(a) *Guicciard.* 10 *hist.* (b) *Marchio Malvezzi. hist. anni* 1639. *pag.* 128. (c) *pag.* 189. *&* *seqq.* (d) *Aubign.* 5. *hist.*

ſem, quæ animam ac vitam cum ſanguine Hugonotis eripuiſſe videbatur, Dux Andegavenſis ad Sancti Joannis oppidum impegit; ac diſſipavit vires, quas hoſtium reliquiis proſequendis utilius impendiſſet (c). Poſtremo Leonardus Torſtenſohnus, ad Fribergam Miſniæ obſidionum impendia ac pericula edoctus, cum ad Brinnam Moraviæ in eundem ſcopulum impegiſſet felix ac fortunatus imperator malignam maleſolertiûm hominum cenſuram effugere non potuit, ſeu nimia præda, quæ immenſa in id oppidum congeſta fuerat, cupidine abreptum, ſeu Viennam & Pacem noluiſſe, qui bello materiam ſupereſſe volebat.

CAP. IX.

T*Unc diſtractis Orientis viribus & quonam inclinarent, incertis, caſus Mithridati datus eſt occupandi Armeniam*] Nunquã ſæpius ab imperitis, & nullâ rerũ experientiâ ſubactis ingeniis peccatur, quam cum, quæ ſemel facta geſtaque fortuna, & felix exitus commendarunt; omni tempore fieri gerique poſſe credunt: ignari ſæpe non tam prudentiâ, quam occaſione negocia confici; certe ſine hac illam parũ proficere.

Vt

(a) *Silhon. Miniſtr. d'eſtat. lib.* 1. *cap.* 8.

Vt non ſine ratione noſter olim amicus, Thomas Campanella Deum, Prudentiam & Occaſionem omnium actionum, mutationumque politicarum principia conſtituat (*a*). C. Cæſar M. Lepidi ſocietate, quanquam magnis condicionibus invitaretur, abſtinuit; cum ingenio ejus diffiſus, tum Occaſioni, quam minorem opinione offenderat (*b*). Otho opportunos magnis conatibus tranſitus rerum ſciebat. proin agendum, audendumque, dum Galbæ authoritas fluxa, Piſonis nondum coaluiſſet (*c*). Nuperrime Fridericus Henricus Autiacus cum filio ſecundam Angliæ Regis filiam ambiens repulſam tuliſſet paullo poſt, ubi opes ſuas contra rebelles Regi neceſſarias videbat, primogenitam obtinuit. Præcipuum ejus, quam tradimus, obſervationis documentum eſt, odium aut contemptus Principis, quæ conatibus plane impoſſibilibus, aut ſaltem ingenti difficultate implexis, pronam ac facilem viam ſternunt. Dion Syracuſanus non tam ſuis copiis, quam odio tyranni, maximo animo, duabus onerariis navibus, quinquaginta annorum imperium, munitum quingentis longis navibus, decem

(a) *lib. de Monarch. Hiſpan. cap.* 1. (b) *Suet. Cæſar. cap.* 3. (c) *Tac.* 1. *hiſt.* 21.

decem equitum,centumque peditum millibus profectus oppugnatum, quod omnibus admirabile est visum, adeo facile perculit, ut post diem tertium, quam Siciliam attigerat, Syracusas introierit (*a*). Quâ eâdem facilitate Jaromirus Bohemiam Boleslai Regis odio flagrantem subegit (*b*). Et nostra ætate Gustaphus Adolpus Sueciæ Rex potentiæ Austriacæ molem immensam,tot temporum seculis, tot exercituum robore nixam,fundatamque quinque millibus aggredi ausus est; felicissimo successu: at inutili consilio, nisi indignantem Germaniam in partibus fore prævidisset. Alia huic vicina observatio est, quod virtutes quædam, cum in non-sua tempora incidunt, semper reprehensionem, interdum quoque exitium merentur: Vitia quoque illo rerum statu, quo corrumpere & corrumpi seculum vocatur, (*c*) præmia consequuntur, virtuti debita. Isto sensu Manlium Capitolinum, à populo Rom. damnatum Livius (*d*) virum vocat, nisi in liberâ civitate natus esset, memorabilem: & Tacitus (*e*) militaris gloriæ cupidinem ingratam temporibus: & Henricus Davila

(a) *Cornel. Nep. Dion.* (b) *Andr. Brunn.* 9. *annal. Bojor.* (c) *Tac. Germ.* 19. (d) *dec.* 1. *lib.* (e) *Agric. cap.* 5.

la (*a*) Antonium Borbonium Navarræ Regem egregium principem, niſi in turbas civiles incidiſſet. Sed hæc nemo melius Machiavello docuerit tertio de Republica (*b*).

Atrociorem quam novo regno conduceret] Vide Noſtra ad XIII. Annal. (*c*).

At Parthi Imperatores cum pugnam pararent, fœdus repente faciunt, cognitis popularium inſidiis quas Gotarzes fratri patefecerat: congreſſique primo cunctanter, dein complexi dextras, apud altaria Deûm pepigere, fraudem inimicorum ulciſci, atque ipſi inter ſe concedere] Peſſimum illorum ſcelus eſt, qui nullâ miniſterii aut officii neceſſitate coacti, ſolâ malitiâ aut accendunt inter principes odia, aut fovent, prorſus digni, qui male pereant (*d*). Sed & lubricus illorum ſtatus eſt, & præceps in ruinam condicio, qui principi, ſeni præſertim, ac illi, qui proximus imperio deſtinatur, aut duobus fratribus medii, neglectu aut ſtudiis in alterutrum nimii ſunt. Nam ille Orientem à ſuis Solem adorari iniquiſſime feret; hic privatam quoque fortunam ſuam nullis officiis coli contemptum ſui odiumve interpretari,

(a) 3. *bell. civil. pag.* 114. (b) *cap.* 8. & 9. (c) *cap.* 11. (d) *Vid. Not. ad* 2. *Annal. p.* 232. & *ſeqq.*

pretari, & sæpius punire solent. Tiberius Archelaum Cappadociæ Regem in exilium impulit, invisum sibi, quod eum Rhodi agentem nullo officio coluisset: quanquam id Archelaus non per superbiam omisisset, sed ab intimis Augusti monitus: quia florente Cæsarum sobole intuta Tiberii amicitia credebatur(*a*). Quod si omissi officii tanta offensa est; multo majus periculum ministros adire consequens est, qui inter offensos fratres, patremve ac filium injuncta sibi ministeria exequuntur; eâ fide, quæ semper apud alteram partem pro crimine est. Jo. Franciscus Gonzaga Mantuæ Marchio, Ludovico filio haut levibus causis iratus, Claudium Donnesimontium ad Sigismundum Imperatorem ablegaverat, proscriptioni Ludovici, & alterius hæredis designationi impetrandæ. Hunc virum cætera egregium prava consilia perdiderunt; ut medius patri ac nato digladiantibus, non concordiam, sed arma & vindictam afferret, paternâ potestate, domini imperio satis excusari se credens: & ignarus, haut diuturnas esse ejusdem sanguinis iras: ac secutâ reconciliatione indignationem in ministros verti. Igitur Ludovici jussu, qui plus nimiæ famuli diligentiæ,

(a) *Tac. 2. annal.*

gentiæ, quam paterno diſſidio imputabat, intra proprios lares confoſſus eſt (*a*). Inter hos ſcopulos tutiſſima enavigandi ratio eſt, unius honeſti juſtique famam captare; omnia conſilia ſervandæ aut reducendæ concordiæ applicare; domino miniſteria, æmulo officia, ſed communia, tralatitiaque exhibere; nullas literas niſi honorem ac reverentiam conteſtantes ſcribere; nullas accipere, nullas tranſmittere, niſi à principe aut Senatu inſpectis, probataſque; poſtremo ita ſe gerere, ut ſemper principi fidem, propinquo illius reverentiam, utrique rectum ac pacis amantem animum approbare poſſis.

Ne quid æmulationis exiſteret, penitus in Hyrcaniam abiit] Vide Noſtra in omiſſis ad ſecundum Annal. (*b*) Illud præterea ad hunc locum notandum eſt, haut exiguam prudentiæ partem eſſe, occurrere invidiæ, & cedere interdum, quam pelli loco malle. Quomodo Artabanus Parthus Tiridati viribus impar in longinqua & contermina Scythiæ fugam maturavit, ſpe auxilii. atque interim poſſe Parthos abſentium æquos, præſentibus mobiles, ad pœni-

(a) *Anton. Poſſevin. lib. 5. hiſt. Mantu.*
(b) ad verb. *petere interim, ne Vonones in Syria haberetur.* &c.

pœnitentiam mutari (*a*). Eodem consilio, quamvis haut pari fortuna, Neapolin Vrbem, & regnum reliquerunt Alfonsus & Ferdinandus Reges; (*b*) & Mediolanum à Gallis occupatum Ludovicus Sforza, (*c*) ac ditionem à Pontifice invasam Franciscus Maria Vrbini Dux (*d*). quam uterque postea felicissimâ facilitate recuperavit. Cum Pandolfum Petrucium Cæsar Borgia Senis, ubi civili nomine Principem agebat, armis extrudere vellet, Petrucius generoso consilio effugere eam tempestatem, & cives liberare periculo maluit; interdiu, mœrentibus plerisque atque lugentibus cum honesto potius quam valido comitatu urbe excedens. Cujus facti mirâ celebritate non modo veterem detersit invidiam, sed ampliorem etiam gratiam apud cunctos ordines adeptus, paulo post decedente Senensi agro Borgiâ decreto publico ad patriæ tutelam, qui sponte se fecerat exulem, revocatus est (*e*).

CAP.

(a) *Tac. 6. annal. 36.* (b) *Guicciard. 1. hist.* (c) *Guicciard. 4. hist.* (d) *Guicciard. 12. hist.* (e) *Guicciard. 5. hist. Paul. Iov. in Elog. Pandulfi Petrucii.*

CAP. X.

NI *Vibio Marso Syriæ legato bellum minitante cohibitus foret*] Quod hîc minitari bellum, id alibi (*a*). ostentare bellum, & metum Romani belli facere (*b*) Tacito vocatur. Magni Principes, ac potentes respub. ipsâ plerunque famâ bella profligant (*c*).

Pœnitentia concessi regni] Nemo se regem fuisse oblivisci potest: & si ipse oblivisceretur, cæteri tamen meminissent. Ille fovet turbas; hi quærunt ducem & partes. Nemo, qui rerum olim potiebatur, palmum terræ in regno teneat, quin toti immineat. Ex quibus intelliguntur, quæ apud Tacitum ex intimo prudentiæ secretioris sinu, ideoque satis subobscure disseruntur de Flavianorum ducum cum Vitellio Imperatore tractatu, salutem & pecuniam & secreta Campaniæ offerentium, si positis armis seque ac liberos suos Vespasiano permisisset. Et Vitellii quidem animum tantam invasisse torpedinem, ut si principem eum fuisse cæteri non meminissent, ipse oblivisceretur. Cæterum ut quisque

(a) *6. annal.* 37. (b) *6. annal.* 36.
(c) *Tac. German.* 13.

quisque illi fidus, ita pacem & condiciones abnuisse, discrimen ac dedecus ostentantes, & fidem in libidine Victoris. Nec tantam Vespasiano superbiam, suive confidentiam, æmulique contemptum, ut privatum Vitellium pateretur. Ne victos quidem Vitellianos laturos. porro quod nomen, quem statum filio ejus fore? Nunc pecuniam, & familiam, & beatos Campaniæ sinus promitti. Sed ubi imperium Vespasianus invaserit, non ipsi Vitellio, non amicis, non denique exercitibus securitatem, nisi extincto æmulatu rediturum. Non à Cæsare Pompejum, non ab Augusto Antonium incolumes relictos *(a)*. Carolus VIII. Galliæ Rex Ferdinando Neapolitano Regi neque Calabriam, neque ullam aliam regni partem concedere voluit, cætera pecuniam, oppida, dignitatem in Galliâ haut abnuens *(b)*. Quas condiciones à Ferdinando rejectas patruus Federicus postea accepit, Ducatum Andegavensem, & annuam pecuniam, regno ac periculis præferendo *(c)*. Quo pertinet, quod Artabanus Parthus à Germanico pe-

 tebat,

(a) *Tac. 3. hist. 64. & 66.* (b) *Comin. 7. Comment. 14. Guicciard. 1. & 2. hist.* (c) *Guicciard. 5. hist.*

tebat, ne Vonones in Syria haberetur, neu proceres gentium propinquis nunciis ad discordias traheret; & quæ nos olim ad illum locum annotavimus in Omissis (*a*). Veneti Catharinam Corneliam Cypri Reginam Asolam, exiguum oppidum, (*b*) Ostasium Polentanum, cujus donum Ravennam habebant, (quanquam aliter rem gestam, & invito Polentano deditionem factam tradat libro septimo historiæ Ravennatis Hieronymus Rubeus) ne liberalitatis unquam pœnitere posset, cum filio in Cretam deportarunt. (*c*)

Revocante nobilitate, cui in pace durius servitium est.] Nam militares artes per otium ignotæ; industriosque ac ignavos pax in æquo tenet: (*d*) neque magnis meritis ac præmiis idem in pace qui in bello locus. (*e*)

Quanquam hodie neque sanguini, neque meritis præmia rependuntur. Gloriæ fumo vitam ac facultates impendunt. quia singulari principum artificio opinio invaluit, plebejos pecuniâ, nobilitatem sanguine tributa exsolvere: & sibi rem ac fortunas

---

(a) *Pag. 567. & seq.* (b) *vide gli Asolani di Pietro Bembo.* (c) *Macchiav. 6. histor. Flor.* (d) *Tac. 12. ann. 12.* (e) *Tac. 1. hist. 5.*

nas mercimoniis, cæterisque pacis artibus quærere, vile ac sordidum; bellorum latrociniis in alienam utilitatem insudare gloriosum esse. (a)

Parthi quanquam victores longinquam militiam aspernabantur.] Qui hodie plerumque gentium mos est, ut pro finibus tuendis militare gratis; nulloque obstricti stipendio, extra patriam persequi hostem minime teneantur.

Ingens gloria, atque eo ferocior, & subjectis intolerantior.] Duæ maxime res licentiam, ferociamque principum attollunt, intenduntque; hinc gloria, & perpetuum fortunæ obsequium; inde longi temporis dominatio. Illius apud Tacitum exemplum præter Bardanem est Italus Cheruscorum Rex, secundâ fortunâ ad superbiam prolapsus(b). Deberent Principes, quæcunque sibi secunda ac felicia eveniunt, tanquam à Dei liberali manu profecta suscipere; atque istiusmodi gratitudine uberiorem divini Numinis benignitatem provocare. At secus evenit, quippe plerique suis consiliis, suisque viribus, prospera provenisse

 rati,

(a) v. Boccalin. 2. ragguag. l. 39. & 62.
(b) Tac. 11. ann. 17.

râti, elatique gloriâ, Timothei Atheniensis *(a)* exemplo deſeri à fortuna, vel, quod dicere ſanius eſt, à Deo merentur. Cujus rei evidentiſſimum quoque ac ſane lugubre documentum nobis præbet Carolus, ultimus Burgundiæ Dux, ambitione, ſuperbia, ac crudelitate funeſtum, quem ad Nanccium habuit, exitum promeritus *(b)*.

Vetuſtate imperii coalitâ audaciâ Nero diu meditata ſcelera non ultra diſtulit *(c)*. Et Tiberius vi dominationis convulſus & mutatus eſt *(d)*. & Vannius Suevis à Druſo Cæſ. impoſitus primâ imperii ætate clarus acceptuſque popularibus, mox diuturnitate in ſuperbiam mutans, regno pulſus fuit *(e)*. Idem eandem ob cauſam Ferdinando Seniori Regi Neapolitano accidit *(f)*.

Venationi intentum interfecere] Venandi ſtudium extulerunt laudibus, aut vituperarunt multi, ut cuique genius fuit, quos refert meus olim præceptor Chriſtophorus

(a) *Plutarch. Sylla.* (b) *Comin. Comment. Paradin. annal. Burgund.* (c) *Tac. 14. annal.* 1. (d) *Tac. 6. annal.* 48. (e) *Tac. 12. annal.* 29. (f) *Guicciard.* 1. *hiſtor. adde Not. ad init. lib.* XIV.

rus Beſoldus libro de *juribus Majeſtatis* (*a*). Inſigne extat exemplum inſanæ Voluptatis cum immani crudelitate conjunctæ de Bernabo Vice Comite, apud Bernardinum Corium (*b*) & Antonium Poſſevinum (*c*). Is, ſi quis leporem, capream, aprum, aut aliud genus ferarum inſecutus convincebatur, illi oculos eruebat: etiam laqueo ſuſpendebat, facultates fiſco addicebantur. qui crudelitatem fugâ evaſerant, perpetuo exilio & bonorum amiſſione multabantur. quibuſdam etiam ædes ſolo æquatæ, poſtquam pecuniam omnem detraxiſſet. Inaudita hactenus ſævitia duos cucullatos impulit, atrocitatem morum coram accuſare. Intumuit alieni conſilii impatiens princeps; & increpitis monachis, quod ſacris addicti profana curarent, ad dolum tranſiit, ſi qua importunos correctores impietatis crimine involvere poſſet. Ergo ſciſcitatus, an lepus à venatore ruſtico captus, ejus eſſet? cum affirmantes accepiſſet, ore renidens, ſublato capite, & veluti rabie agitatus, ſubjunxit, non ergo Dei? Nec reſponſum tolerans, ut impietatis con-

(a) *ſect. 3. cap. 7.* (b) *hiſtor. Mediol. par. 3. pag. 247. & ſeq.* (c) *hiſtor. Mantuan. lib. 4. pag. 405. & ſeq.*

victos, cremari vivos jussit. Ceterum, ut venatio oblectamento, non item oneri aut dispendio esset, quinque canum millia ali à subditis jubebat, divisis per civitates & oppida agminibus: ut quacunque ditionis parte processisset, haberet ad manus, quibus voluptatem expleret. Graciles, aut plus justo obesos quovis mense ad id delegatis ostentasse, capitale erat. perniciosum maxime, morbo aliquem defecisse: denique emisse ferinam, aut edisse, cauponibus, stabulariis, tabernariis, omni denique hominum condicioni exitiabile.

Si perinde amorem inter populares, quam metum apud hostes quæsivisset.] Amari an timeri à civibus principem præstet: ad sextum annalium olim tractavi: (a) quæ non muto.

CAP. XI.

M*Agistratus potissimum exequebantur officia cæremoniarum*] Invitat locus, de cærimoniarum ac sacrorum procuratione, deque administratione rerum ecclesiasticarum quædam, quatenus politico concessum est, adnotare. Istâ de re in Schola-

(a) *Pag.* 479. *& seq.*

Scholarum, templorumque pulpitis motas controverſias in Rempubl. exitiabiles ut plurimum turbas invexiſſe, noſtrorum juxta ac ſuperiorum Temporum experientia docet. Sunt (*a*) qui ſoli Papæ Romano, ſunt (*b*) qui præter hunc cæteris quoque Epiſcopis, ſed iis ſolis, omne id munus mancipant; omnibus qui ſacri ordinis non ſunt, ab illo remotis. Sunt qui omnem Eccleſiaſticam poteſtatem, illam ſaltem quam externam appellant, Principi tribuunt. In quem ſenſum Regem ſuum Eccleſiæ caput paulò ante Angli dicebant. Quidam Principum ab aliquot è Senatu, adjunctis quibuſdam ex Eccleſiaſtico ordine, quicquid juris ſacri eſt, ſuo nomine adminiſtrari volunt (*c*). Acceſſerunt, qui vel in populari ſtatu, vel ſub Regibus viventes, quibus diverſa ſacra ſunt, & alia religio, populariter quoque per collegia ex plebe & miniſtris compoſita Eccleſiam gubernant (*d*). Reliqui ſunt Anabaptiſtæ, & qui eâdem vaſania hodie in Angliâ arro-

 ganti

(a) *Bellarmin. & communiter* Romano Catholici. (b) *M. Ant. de Dominis in opere de Republ. eccleſia. Thom. Bilſon. de perpet. eccleſ. gubern.*
(c) *Plerique quos Lutheranos vulgus appell. vid Ant. Fabr. IC. Saxon. lib. de Opt. Eccleſ. ſtat.* (d) *Belgæ fœderati, & qui in Gallia* Hugonotæ *vocantur.*

ganti Independentiũ appellatione & alibi degunt, qui nullis legibus, nullâ disciplinâ, solo Numinis arcano instinctu regi volunt. Mihi litem tanti ponderis præcipiti definitione meam facere neque animus neque auctoritas est. Illud monere sufficit, fortasse Deum ipsum Optimum Max. Ecclesię suæ gubernationem non uni formæ aut modo alligasse; sed pro hominum temporumque varietate illam maxime probare, quæ honori Sanctissimi Numinis, & hominum æternæ saluti maxime conducit. In quam sententiam Tertullianus libro *de velandis virginibus* (a) dixit, regulâ Fidei, quæ una omnino est, sola immobilis & irreformabilis, manente, cætera disciplinæ & conversationis admittere novitatem correctionis: & in eundem sensum egregia sunt, quæ Epiphanius tertio contra hæreses disserit, illo loco, quo *contra Aerium* disputat *(b)*. Ita prima Ecclesiæ tempora episcoporum, vel, quod idem erat (uti nuperrime ficto Messalini nomine summus Vir Claudius Salmasius, & prolixo opere immensæ lectionis David Blondellus docuerunt) presbyterorum collegio, postea præcipuâ unius ex collegio auctoritate, subsequenti-

(a) *Cap.* 1. (b) *Hæres.* LXXV.

quentibus seculis plebis quoque adscitis suffragiis regebantur. Quod aliter fieri minime poterat: quando sub paganis Christiano nomini infensissimis principibus, religio sævissima tyrannide premebatur. At ex quo Christianismum profiteri cœperunt Imperatores Romani, Ecclesiæ res ab ipsorum arbitrio pependisse Socrates in historia (*a*) testatur. Vt minime mirandum sit, in Principatu popularem istam Ecclesiasticæ rei formam, tanquam regiæ potentiæ adversam suspectamque non probari. Sane in Galliâ Hugonotarum presbyteria, Conventus provinciales, & generales, Circuli, Deputati, & quibus aliis Religio munimentis sepiebatur, Regum vomicæ ac carcinomata fuere: tanquam iis ad Germaniæ ac fœderatorum Belgarum exemplum in medio regno libertati præluderetur (*b*). Nec alia secretior causa fuit, quam propter Jacobus & Carolus Magnæ Britanniæ Reges in Scotiâ, abolitâ populari Ministrorum & Seniorum Ecclesiæ administratione, Episcopos substituere tantopere laborarunt, nisi quod hi parandæ, aut intendendæ dominationis, illi reti-

(a) *Præfat. lib. 5.* (b) *Cardinal. Bentivol. Relat. de Hugonot.*

nendæ aç tuendæ libertatis certissima instrumenta habebantur (a). Nam populi imperium juxta libertatem; paucorum dominatio regiæ libidini propior est. (b) Præter ista illud quoque notandum, etiam in optimatum ac populari statu non sine flagitio rerum ecclesiasticarum curâ arceri, qui ad Reip. clavum sedent: quorum autoritatem inter Hugonem Grotiũ, aliosque superioribus annis periculosâ libertate ventilatam, & à Nicolao Vedelio nuper assertam (c) scholastica vehementiâ alii publice impugnarunt. Funesta jurgia! quæ cum collidant illos, qui Reipubl. habenas tenent, cum iis, qui religionis obtentu in plebis animis regnant, nubes jamnunc cogunt, in atrocem aliquando tempestatem, ni bonis consiliis mature dispellantur, erupturas. In proximo Anglicæ turbæ, sunt ex isto fonte prognatæ: inde facilis ad vicinos pessimi exempli transitus.

(a) *Idem Bentivol. Relat. de Belg. Hispan. par. 2. cap. 4.* (b) *Tac. 6. annal. 42.* (c) *Libro, cui titulum fecit,* Episcopatus Constantini Magni.

CAP. XII.

M*Atri Agrippinæ miseratio augebatur, ob sævitiam Messalinæ*] Hic locus, & in eundem sensum alter lib. XIII (a). addendus iis, quæ ad III. Annal. (b) diximus.

Neque Silius flagitii aut periculi nescius erat &c.] Qui regiam sequuntur, rari illam sapientiam capiunt, quæ facultates omnes ac vitam ipsam honesto postponere jubet. Præsentis exitii horrida facies futuri metu potior est. præterea fallendi spes, & magna præmia non flagitia tantum, sed ipsa flagitiorum pericula commendant: ut opperiri futura, & præsentibus frui pro solatio sit. Etiam quibus innoxia consilia sunt, multa temporis beneficio, & industriæ servantes, præsentibus afferre remedia satis putant (c).

CAP. XIV.

C*Laudius tres literas adjecit, quæ usui imperitante eo, post obliteratæ.*] Inventa, quæ novitate magis, quam utilitate

(a) *Cap.* 15. (b) *Pag.* 2-1. (c) *V. Henric. Davil. lib.* 2, *bell. civil. pag.* 67.

commendantur, dum authorum potentia aut fama, & novitatis gratia blanditur, sectatores laudatoresve reperiunt. postquam vel auctorum morte, vel vetustate eviluerunt, negliguntur, novisque semper cedunt. Manet Philippi Paracelsi medicina, perpetuo usu semper nova. Manent, quæcunque in manuariis artibus, veteribus institutis ingeniosa nostrorum temporum solertia addidit. At Raimundi Lulli, Neperi, Fluddi, Campanellæ philosophia pene cum ipsis inventoribus evanuit. Vereor, ne idem futurum sit eruditorum nostri seculi virorum fatum, qui Germanicæ linguæ origines investigare, scribendi rationem reformare; scabritiem lævigare, etiam ad molliorum carminum amœnitatem traducere, ambitioso magis quam Frugifero studio contendunt.

CAP. XVI.

A*Missis per interna bella nobilibus, & uno reliquo stirpis regiæ* &c.] Cum hoc Italo jucundissimâ comparatione conferre licet, quæ de Sanctio Bentivolio sexto *Historiæ Florentinæ* narrat Macchiavellus.

Potentiam ejus suspectantes, qui factionibus

bus floruerant] Inutilis illorum, ac plerunque noxia cautio eſt, qui, quod inter Vernas ſuos Cato; inter cives facere ſolent; non tolerare modo rixas, ac jurgia, ſed ſemina quoque diſſidiorum jacere: quaſi iſta ratio ad ſecreta rimanda, ac diſpellendas conſpirationes præcipuà eſſet; cum tamen contra plerunque vertere, & in Principis perniciem ea res ſoleat: quod quia Macchiavellus (*a*) & Cominæus (*b*) præclare docuerunt, non hîc repetendum venit.

Princeps ſuâ potentiâ verendus neque in Aulâ, neque in regno factiones vult. Aulæ tamen diſſidia minus periculi habent; & facile cohiberi poſſunt, ne in rempubl. quid inde mali redundet. Philippus II. Hiſpaniarum Rex contraria Procerum in Senatu ſtudia præſentiâ ſuâ plerunque correxit (*c*), At in regno inter duas potentes factiones Principi obſequio & viribus deſtituto præter nomen nihil ſupereſt.

Factiones debilem plerunque Principem arguunt, & qui impune contemni poſſit. Quo fit, ut potentiam unius ſuſpe- ctent,

(a) 3. *diſcurſ. ad Liv.* 27. (b) 6. *Comment.* 13. *adde Forſtn. Not. ad* 2. *Annal. pag.* 240.
(c) *Strada hiſt.*

ctent, qui factionibus floruerant (a). Nam justitia, munificentia, fortitudo, & ex Virtutibus fama ut principi certam ac securam possessionem, sic quietem civibus promittunt; contra contemptu regnantium calcatæ leges: soluti mores, discordias, dein injurias efficiunt. Dum Henricus VI. Cæsar ætate, potentiâ adstricto & severo imperio validus seque & pacem sustentabat, omnes provinciæ summâ tranquillitate fruebantur. Vbi finem habuit; cuncta in præceps acta. Palæstina, Italia, Germania seditionibus exarserunt. Postquam enim formidati Imperatoris reverentia cessit, & parum in legibus præsidii, ac plus vim quam modestiam valere constitit; eruperunt male suppressa desideria, & habendi libido (b). Catholicorum & Hugonotarum in Gallia, Vnionis & Ligæ in Germania inauspicata vocabula sub Principibus pueris (c) aut senio invalidis (d) orta sunt. Contra Ferdinandus II. Imp. potentiæ securus non minus Ligæ, quam Vnionis nomina in Comitiis Ratisbonensibus (e) abolita voluit. Ex quo principio illa πρᾶγματα vulgo deducunt, neque Germa-

(a) *Tacit. hic.* (b) *Possevin. 2. hist. Mant.* (c) *Francisco II. Carolo IX.* (d) *Rodolpho, Matthia Impp.* (e) *Ann.* 1630.

Germanos Imperatorem (*a*) neque Italos Pontificem (*b*) potentiâ prævalidum æquo animo ferre: & quod olim in Gallia multi etiam ex Catholicis Colignium & Hugonotas opprimi nolebant: non tam publici curâ, quam Guisiorum odio; quorum magnitudini obicem illos ponere arbitrabantur (*c*). Rupellam à Ludovico XIII. domari plurimi ex Proceribus Gallis, ut dominatus stabilimentum, ac licentiæ frænum horrebant. Vnde illa Bassompetræ vox: An eo stultitiæ progrediemur, ut Rupellam capiamus?

Factionum id ingenium est, ut primum inter se collidantur, Regis aut Reipubl. causam utrinque jactantes; tractu temporis vel utraque, vel alterutra in ipsum Principem aut rempubl. hostilia induat.

Remedia factionum Macchiavellus (*d*) ad tria capita redegit; Reconciliationem, Mortem, Exilium factiosorum, ac præcipue capitum. Verum acutus iste Hetruscus non satis subtiliter rem distinxit: quæ ita mihi explicanda videtur. Vbi discissæ, ac in diversum inter se tendentes partes in Principis utrinque obsequium compositæ sunt,

(a) *V. Forstn. ad 6. Annal. pag.* 495.
(b) *V. Forstn. Omiss. ad lib.6. pag.* 597. (c) *Ioan. Baptista Adrian.* 21. *hist.* (d) 3. *Discurs.* 27.

sunt, illius se arbitriô staturas professæ, nunquam in partes descendere Princeps; alienamque litem suam facere debet (a): sed communem se utrisque patrem, ac veluti phreneticis medicum præbere; judicio aut arbitrio controversias cõponere; composita jurejurando sancire; conjugiorum vinculis adstringere. Si decidi componive controversiæ nequeant, infensioribus animis, quam ut rebus judicatis acquiescant: pro summâ potestate silentiũ partibus imponere Princeps debet, aut ex Aulâ factionum capita, vel legationis prætextu, vel alio diversos amovere; Tollere præterea atque extinguere factionum nomina, & cum nominibus memoriam. Quâ prudentiâ Genuenses, cum Andreæ Auriæ beneficio libertatem recuperassent, abolitis Guelphorum & Gibellinorum, Nobilium & Popularium, Adorniorum & Fulgosiorum vocabulis, XXVIII. tantum illustrium familiarum nomina conservarunt; quibus cæteræ omnes nullo Nobilium, populariumve discrimine aggregatæ fuerunt; translatis Nobilibus in familias populares, & vicissim. Quâ sapienti confusione extingui cum appellationibus odia quoque facti-

(a) *Forstn. Omiss. lib.* 1. *pag.* 538.

factionum haud vanè augurabantur *(a)*. In eundem finem Venetiis vetitũ est, Veteres & Novos Nobiles discriminari. Sed hoc casu illa præcipue cautio tenenda est, ne Princeps affectu in hanc illamve partem perrumpatur: sed ut nullis discordiis imbutus pari in omnes studio agat *(b)*. Mediolanenses imperii Gallici statim tæduit, cum Io. Iacobus Trivultius, Guelphorum caput, à Rege præfectus Gibellinis se iniquũ præbuit *(c)*. Margaritha Henrici VI. Angliæ Regis uxor cum inter Somerseti & Varvici Duces mediam, & neutri addictam se gerere posset, imo deberet; illius partes secuta seque & maritum pessum dedit *(d)*. Fridericus Ænobarbus Imperator bellantibus inter se Germaniæ Proceribus nulla arma interposuit; sed præcepto, ne bello decertarent, se causam ex æquo cogniturum promisit *(e)*. Cujus moris plura aliorum quoque Impp. exempla in historia Germanica occurrunt. Et de armis ac bello illud in universum tenendum est, contra factiones, quæ duarum aut trium civitatum quietem turbant, utiliter adhiberi, postquam mitiora non proficiunt. Quomodo cohor-

(a) *Guicciardin.* 19. *hist.* (b) *Tacit. hic.* (c) *Guicciard.* 4. *hist.* (d) *Polydor. Vergil.* 23. *hist. Angl. Comin.* 6. *Comment.* 13. (e) *Possevin.* 2. *hist. Mant.*

cohortis prætoriæ terrore & paucorum supplicio Puteolanorum dissidia sustulerunt Scriboniani fratres (*a*) : & discordes Campanos, magis inter semet, quam contumaciâ in Principem; Lucilius Bassus cum expedito equite missus composuit. (*b*) At ubi non una aut altera civitas divisa, sed totum regnum in partes discessit; illis profecto artibus, quas hic notamus, malo obviandum est, neque armis imprudenter attentandum, quod obtineri nequeat.

Quodsi una ex duabus factionibus Regiam auctoritatem vel apertâ petulantiâ lacessat, vel occultâ fraudê obruere tentet; alteri Princeps se ducem ac caput præbere, & perfidiam, si aliter nequit, armis ulcisci debet. In quo Henricum III. Galliæ Regem peccasse illi arbitrantur, qui Henricum Navarrum & Religionarios fidos Regi, ideoque maturius societatem cum illis contra Guisinm ac Ligistas jungendam fuisse pronunciant (*c*).

Postremo, ubi utraque factio non in se tantum sæva, in Principem quoque infestum animum gerit. (quod de Ligistis juxta ac Religionariis sub Henrico III. plurimi credebant) tunc sane neque solus armis

(a) *Tacit.* 13. *annal.* 48. (b) *Tac.* 4. *hist.* 3.
(c) *V. Forstn. Omiss pag.* 539.

mis cohercere poteſt univerſos; quæ nulla Principis eſſe poſſunt, factionibus auctorata; neque uni partium nomen dare debet, miſceri civium diſſidiis, facere ſe ſatellitem alienæ ambitionis, miniſtrum ſuę miſeriæ, & inſtrumentum ruituri regni. Neque enim tali rerum ſtatu pecunia ſupereſt, belli nervus: & deeſt obſequium ſubditorum, favore partium aut metu corruptum: deficit fides miniſtrorum, factioſis plerunque ſanguine, aut affinitate innexorum, obnoxiorumve illorum beneficiis.

Quid igitur faciet iſto rerum articulo Princeps? Nec ipſe, quod modò dixi, arma capiet; & ſi poterit, ea furentibus extorquebit, aut ſaltem ita temperabit, ne alterâ factionum ſuperatâ, altera nocentior & ſine æmulo inſaniat. Factiones turbis & inter arma invaleſcunt. pace exarmantur. quippe in turbas & diſcordias peſſimo cuique plurima vis. pax & quies bonis artibus indigent (*a*). Cum factioſi armis & bello colliduntur, Princeps Victori in prædam cedit. Bellum nutrit augetque rebellium vires: pax odiorum feritatem mitigat. In bello quotidie factionibus accedunt, quibus conſcientia criminum, aut æris

(a) *Tac. 4 hiſt.* 1.

æris alieni magnitudo novandi neceſſitatem imponit: & accreſcit pertinacia etiam illis, qui dubitantes ac prope inviti videbant magis quam faciebant ſubverecunda ſcelerum initia. Contra pace ac quiete extinguitur odiorum flamma, ceſſant venti, reſidunt fluctus, ſiſtitur armorum curſus, diffluunt vetuſtate & incuriâ, quibus diffidentia vel gignitur, vel nutritur, oppidorum ac caſtellorum munimenta; diſſiliunt fœdera, ac diſſipantur, quibus nulla præterquam in turbido ſpes; & ſublatis qui diſcordiis civilibus innutriti fuerant, nova ſuboles ſuccreſcit, inſolens turbarum, ignara ſcelerum, ad legum & obſequii amorem compoſita. Illa præterea ratio pacem bello præfert, quod ærarium belli impendiis exhauſtum non niſi pace partâ repleri poterit. Quod ſi pacem rebellium contumacia excludet; quod aperte non poterit, per cuniculos aggredietur Princeps; &, quod ſupra dixi, operam dabit, ne una factio, ſublatâ æmulâ, ſola regnet. Quomodo Catharina Medicæa, Galliæ Regina Condæo & Guiſio, Colignio & Cardinali Lotharingo media, neutram factionem eouſque deprimi volebat, ut ipſa in alterius poteſtate eſſe cogeretur. Quâ prudentiâ conſecuta eſt, ut imperium mutuo æmulatu

mulatu atque invidiâ permitterent feminæ, & externæ, quòd alter alteri minime concessissent (*a*). Hodie quoque Religionarios, uti nunquàm cum Hispanicâ factione, quæ in Gallia nunquam emorietur, coalituros, conservare necessariam prudentiam multi arbitrantur. Matris Catharinæ consiliis insistens Henricus III. Rex illorum aciem ita disponebat. Quia bellum, quod rebus suis minime conducere noverat, subitâ pace mutare non licebat; continuare quidem illud voluit: sed conatu debili, frigidoque, & qui ad summam rei nihil faceret: inde arreptâ primâ pacis occasione extorquere partibus arma, & adimere vim nocendi. Postquam parta his consiliis pax esset; animus erat, ignaviam & incuriam fingere, & modo monachorum pietatem sacris exercitationibus exprimere, modo aulicarum deliciarum delinimentis immergi: quo istâ desidiæ imagine factiosorum solertiam falleret. Porro cogitabat in lucem producere, atq; ad præcipuas dignitates extollere homines ingenio sagaci & ad omnia prompto; sed qui præter Regem nemini quicquam deberent: quibus deinde maximorum operum ministeria tuto concrederet. Hoc modo spera-

(a) *Henr. Davila* 2. *hist.*

ſperabat temporis,& occaſionū, etiam pecuniæ beneficio, honoribus, officiis, dignitatibus, ſociis, auctoritate denique ac viribus exui poſſe, quibus bello aperto impar erat. His cōſiliis effectui mandandis Henricus Principi Delphino Mompenſerii filio, cui plus ardoris ac vehementiæ inerat, quam vellet, Rogerium Bellegardium ſubſtituit, remiſſioris ingenii virum, & qui Danvillæ hoſtium duci non adverſus habebatur. Mompenſerio, acriter Hugonotis inſtanti, præcipuum exercitus robur ſubtraxit, tanquam ad arcendos Campaniæ ingreſſu exteros neceſſarium. Henrico Guiſio, Catholicæ partis & factionum primario incentori Armannum Bironum, belli veterem, ſed Hugonotis ſecreto faventem, collegam & cuſtodem addidit. Præterea, quo pecuniæ publicæ & præmiorum diſpenſationem pernicioſo errore ad alios delapſam ad ſe ſolum retraheret; parandæ benevolentiæ, quam Regi debitam potentes in Aulâ ſuffurabantur, inſtrumentum: ſtatuit, ne Quæſtores alii, quam ſibi accepti & expenſi rationem redderent: & ne præter apocham Regis manu ſubſcriptam quicquam ultra Rationales requirerent: præterea, ut qui ſacerdotia, magiſtratus, procurationes, aliave præmia ambirent,

rent, libellos ſupplices quos à clientibus ſuſceptos Proceres Regi commendare ſolebant, ipſi offerrent, nemini alii beneficium debituri. (*a*) Sed majus erat malum, quam ut remediis cederet: & reductæ Pacis gloriam ſucceſſori Henrico IV. fata deſtinaverant.

Sæpius Vinolentiam ac libidines, grata barbaris, uſurpans] Iis, quæ ad tertium (*b*) Annal. & primo omiſſor. (*c*) ad hunc locum pertinentia annotavi, addenda ſunt, quæ de Hadriano Spartianus (*d*) & de Alexandro Farneſio Parmæ Duce inter Gallos Gallicis moribus vivente Henricus Davila (*e*) tradunt.

Adimi; veterem Germaniæ libertatem, & Romanas opes inſurgere] Libertatem vocant, qui nullis legibus teneri volunt, licentiamque factionum ut jus & fas ſibi vindicant. Alterum, quod hîc notandum, eſt paradoxi inſtar, potentiam tum maxime in præcipiti ſtare, cum ad ſummum pervenit: & nunquam minus ſecure agere Principes, quam cum maxime potentes ſunt. Nimirum auctu imperii augetur metus & invidia minus Valentium. A metu & invidia tranſitur ad coitiones, & fœdera pro com-

(a) *Davila 6. & 7. hiſt.* (b) *Pag.* 300.
(c) *Pag.* 546. (d) *Hadrian.* (e) *Lib.* 11. *hiſtor.*

communi ſalute tuenda, & haut raro ad bella. Ita ipſa ſibi magnitudo obſtat ad majora incrementa. Dum modicæ eſſent Hiſpanorum res; virtuti & fortunæ illorum cuncta pervia videbantur. Poſtquam Carolus v. Cæſar & Philippus Rex enormi potentiâ, & pari ambitione Europæ imperio imminere crediti ſunt; expreſſis plurium federibus, & tacitâ omnium conventione id actum fuit, ne ultra Hiſpanus progrederetur. Raræ igitur prudentiæ eſt, modum & limitem ambitioni ponere, ſiſtere cupidinem, & firmare potius ſibi quæſita pace, quam bella ex bellis ſerendo novis incrementis inhiare. In quem ſenſum egregia extat Oratio Marchionis Triviſani, Senatoris Veneti apud Franciſcum Guicciardinum ɪv. hiſtor. (*a*)

Infectum alimonio, ſervitio, cultu, omnibus externis] Vide noſtra ad initium ſecundi Annalium.

CAP. XVII.

F*Alſo libertatis vocabulum obtendi ab iis, qui privatim degeneres, in publicum exitioſi*

(a) *adde quæ notabimus ad* 15. Annal. 1. *&* *quæ olim dicta ad* vɪ. *annal. verb.* Conſiliis & aſtu res externas moliri, *&c.* pag. 491.

tiosi nihil spei nisi per discordias habeant] Nemo enim sibi alienum servitium, & dominationem concupivit, ut non libertatem & speciosa nomina prætexeret (*a*). Quale sunt Bonum publicum, cujus obtentu nefaria Ludovico XI. Galliæ Regi arma inferebant Procerum præcipui (*b*). Et hodiè nulla adeo scelesta cupiditas est, quæ turpitudinem suam *Religionis* colore non velet. Vniversum factionis & factiosorum genium nunquam non larvatum egregie detexit atque in lucem protraxit in Argenide Joannes Barclajus: cui jungere licet, quæ ego olim scripsi ad tertium Annal. (*c*) & quæ apud Henricum Davilam extant XIII. historiæ (*d*).

Secundâ fortunâ ad superbiam prolapsus] Vide quæ ad hunc librum supra annotata fuerunt (*e*).

Pulsusque ac rursus Longobardorum opibus refectus, per læta, per adversa res Cheruscas afflictabat] Reges mobilitate vulgi expulsi, resumptâ per arma dominatione, fugas civium, urbium eversiones, fratrum, conjugum, parentum neces, aliaque solita victoribus licentius patrant (*f*). Et belli

(a) *Tac.* 4. *hist.* 73. (b) *Comin.* (c) *Verb'* ob magnitudinem æris alieni. *&c.* (d) *p.* 845. (e) *ad cap.* x. (f) *Tac.* 5. *hist.* 8.

civilis victoriam, aut conjurationem detectam plerunque sæva pax, quæstiones, supplicia; sector ac hasta sequuntur *(a)*. Plena exemplorum historia est, sed præ ceteris Anglica, ex qua sui temporis aliqua transcripsit in Commentaria Cominæus *(b)*.

Per lata, per adversa res Cheruscas adflictabat] Ita sapientissima Numinis dispensatio delicta Principum civium contumaciâ punit; & horum peccata, Principum sævitiâ aut ignaviâ castigat. Sunt alter alteri flagellum, & crux *(c)*.

CAP. XVIII.

NOn *ignarus, dites & imbelles esse.*] Longa pax, molle cœlum, pingue solum & multiplici fertilitate beatum uti opum affluentiâ cultores beat; ita segnitia cum otio intrat *(d)*: neque segnitia tantum & imbellia, sed luxus quoque & quæ aliæ imperiorum pestes sunt. Inde de Gallo-Græcis in Asia degentibus Cn. Manlius Valso, virtutem patriam jam olim cum nomine perdidisse dixit. Gallo-Græcos vocari eo modo, quo Androgyni quidam nascun-

(a) *Amm. Marcellin.* 16. (b) *lib.* 5. *in fin.* (c) *V. Besold. de republ. cur. c.*4. *sect.*6. (d) *Tac. Agric.* 11.

naſcuntur injuriâ naturæ, utriuſque ſexus vitia in uno corpore commiſcentis. Hoc nimirum Aſiæ ingenium eſſe, quos viros acceperit, ſemiviros facere. plerunque homines patriæ reſpondere: & ſub tam blando cœlo corpora & animos emolliri. At virtutem nunquam delicate habitare; & fere inter voluptates emori (*a*). Antonius Poſſevinus Medicus in prudentiſſima de Gonzagis Principibus hiſtoria (*b*) cauſam reddens, ob quam auctâ poſtmodum Mantuanorum Ducum potentiâ, minus virium, quam apud veteres Marchiones, videatur; exercito per bella ſeculo incolas omnes cũ civilibus artibus militiam imbibiſſe ait: feſtinatis expeditionibus defunctos, ubi ad ſua reverterant, domeſtica curaſſe; tanquam abituros: feminas agros coluiſſe, officinas ſervaſſe, emiſſe vendidiſſeque; procul agente viro, filiiſque bello deſudantibus. Principes ipſos, quas nunc ædificationibus, jocis, cultui opes inſumunt, comparandis armis, impedimentis, amicitiis, munimentis impendiſſe. Secutam pacem delicias invexiſſe, non niſi longo bello ceſſuras. Poſtquam igitur Principes longâ pace, ac proſperitate uſi impiâ oblivione ad Deum tantorum bonorum auctorem mi-

(a) *Brunner. 3. Annal Bojor. ex Livio.* (b) *Lib. 6.*

nime respiciunt; Deus castigandæ ingratitudini bella, aliaque mala immittit. Sic fere pessundata maxima regna, ubi satietate gloriæ ad summum provecta, abstinere exercitio armorum, immergi voluptatibus, curas graviores omittere pacem appellant. Inde opes & luxum magnarum urbium populorumque ruinam præcedere exemplo Burgundiorum docet primo Commentariorum Philippus Cominæus.

Legiones operum & laboris ignaras veterem ad morem reduxit, &c.] Severitatem Corbulonis, Tacito hoc loco notatam expressit, aut superavit Albertus Valenstenius, Fridlandiæ, & tandem Mechlemburgi Dux. Præter infinita, quæ fama vulgavit ad stuporem composita, Galeatius Gualdus, qui in exercitu illius & familiâ vixit, in historia scripsit, hominem à cubiculis, qui contra, quam jusserat, ipsum somno excitaverat suspendio necatum; atque equitem sine ocreis deambulantem cum ignominia exauctoratum fuisse. Ingentibus præmiis, & atrocibus suppliciis rexisse maximos exercitus: & uti dona nunquam infra mille Scutatos, ita pœnas nunquam aut raro citra mortem constitisse (a).

Inten-

(a) 3. *Hist. adde nostra ad* 13. *Annal.* 35.

Intentumque & magnis delictis inexorabilem scias, cui tantum asperitatis etiam adversus levia credebatur] Valenstenius, quem modo memoravi, ridebat pietatem sævitiam morum suorum incusantium, solâ severitate pœnarum à maleficio contineri militares animos asserens. & à committendis majoribus absterreri, qui minoribus parata supplicia scirent (*a*). Sed aliam esse Principum ac Magistratuum, aliam militiæ ducum rationem; neque eodem modo in pace cives, quomodo in bello milites regi egregiè, ut pleraque alia docuit Trajanus Boccalinus (*b*). Principum enim ac Magistratus est, agere medium, plurima dissimulantis, aliqua inhibentis (*c*), omnia scire, non omnia exequi: parvis peccatis veniam, magnis severitatem commodare: nec pœnâ semper, sed sæpius pœnitentia contentum esse (*d*): ignoscendi quærere causas, non puniendi occasiones (*e*).

CAP. XIX.

AC *ne jussa exuerent; præsidiam immunivit*] In munimentis plusne periculi sit an securitatis, contrariis civilis scientiæ do-

 ctorum

(a) *Galeat. Guald. 3. hist.* (b) *Part. 2. ragguagl. 63.* (c) *Vellej. Paterc. 2. hist. 114.* (d) *Tac. Agric.* (e) *Amm. Marcell. 19. hist.*

ctorum (a) dissertationibus ventilatur. Illud extra controversiam verum est, plures diversis locis extructas munitiones non teneri, nisi à maximæ potentiæ principibus. Extat egregia consultatio de Casalis arce struenda apud A. Possevinum octavo historiæ Mantuanæ: quam arcanis monitis insignem huc transcribere operæ pretium est. Disserebat Comes Savorgnanus, Mantuanas vires longius abesse, quam ut Monferrati necessitatibus præsto forent. populum recenti imperio inassuetum nondum in fidum obsequium coaluisse. Provinciam Hispano, Sabaudio, Genuensibus mediam, nudamque cujusque libidini exponi; nec nisi firmiori præsidio vallatam adversus tot avidos teneri posse. Civitatem Casalensem ac castellum invalidiora, quam ut primam utcunque oppugnationem perferant. cætera in aperto esse, & occupanti parata. nec aliter securam possessionem contingere, quam si munimento insuperabili circumpositi hostes arceantur. Struendam proinde arcem, quæ suos & exteros in officio teneat. Tullius Petrozannus contra. Fortissimam arcem, & quæ servandæ universæ provinciæ sufficiat, hac rerum

(a) *Macchiav. 2. discors. 24 Amirat. 19. discors. 4.*

rerum condicione ponere, neque decus, neque prudentiam, nec utilitatem habere. Munitiones validas tenui potentiæ non convenire, ſatis ſuperque Mediolani ac Vrbini Duces & experimento & ratione didiciſſe: ſeu quod ſervari propriis viribus nequeant, ſeu quod majorem pecuniam exigant, quam à principe minori impendi conducat. Sed hæc, inquit, miſſa facio: & quod in genere dicitur, in noſtram cauſam contraho. Sabaudius ſcil. timetur. Hunc tamen Gallo gravi injuriâ recens cognitum, & Hiſpano ob Mediolanum inviſum facile deſpexeris. Id tantum obſtinate procurandum, ut amorem Regum habeas; poſſisque vel opinione ſolâ tutelæ ſecurus degere. Quod an publice vel occulte procurandum? Regeſne ipſi tacita an velut muta officia æſtiment? profeſſionem an ſecretum ament? liceatque eadem impunitate utrumque ſpe irretire? & qua via ſingulis ſatisfiat, non ſemel aperui. Quod Cæſaris decreto habes, Cæſares quoque ratum volent. Et quando nemo potentiorum ſuccurrat, tuæ te vires & congeſtæ à parente pecuniæ ſecurum & retinendæ poſſeſſioni validum reddent. Non enim ea Monferrati tenuitas eſt, ut ſuos fines tueri nequeat; infenſi Sabaudio non una cauſa, ſed præci-

pue quia vicinum habent. Populi fidem carpere iniquum censeo: siquidem tot annos experta constantia certum animum ostendit. Et impositum civitati præsidium concutere fidem potest, eo ipso, quod diffidatur. Sed esto, Arx munitissima educatur, quæ tuis quæ exteris juxta terrori sit: quid hoc insaniæ, aut multis hominum millibus assidue servandā, paucissimis tradere: aut si justo præsidio firmanda sit, ingentem redituum summam vano timori insumere? Descripto munimento non quingenti, sed duo millia in pace vix suffecerint; in bello ne sex quidem, præcipuis provinciæ vectigalibus hauriendis. Et his quidem incommodis servanda est. nec minoribus statuenda. Exhauriendum ærarium, tributis operandæ provinciæ, cives ac rustici assiduo opere fatigandi. hinc alienatio:& cum tutela è muris quæratur; ab incolis periculum properatur. Quanto securiori præsidio pecunias & labores tuorum in securitatem quam ædificationes impendis? Vbi ad summum deductum munimentū fuerit, commeatu, tormentis bellicis, armisque instruendum. Sed qua vi auri, quibus opibus universa parabuntur? Et metuo, ne, ubi perfectionem decusq; acceperit, tutoribus Regibus, plus quam velis, placeat; alter specie
prote-

protectionis, simulatâ formidine alter repetat; seseque utriq; curatores non appellati offerant, etiam obtrudant. Vereor, ne, quæ pace servari vix poterit, bello concedenda sit. etiam inter æmulos pro hoste illum censendum, cui statim non tradatur. Jam vero non istorum temporum condicio magis quam futurorum angit. Quanquam enim suscepti consilii vanitas posteris quam tibi ipsi manifestior futura, nullus erit tamen remedio locus: quod Regum alteri concedi, non sine metu provinciæ, nec dirui nisi cum debilitatis creditæ notâ possit. Servanda proinde quamvis ingenti dispendio erit, ubi semel fuerit inchoata. Si amitti contigerit, aut Reges habebunt, aut Sabaudius. Illi tua cum gratiarum actione possidebunt: hic majores vicinio vires habet, quam ut tuo nixu redimatur. Monferratum nisi Regis prævalidi arbitrio, tuum esse potest. nec ille laborem irritum diu volet, sed Arcem precium amicitiæ requiret, &c. Docuit exitus bene Tullium & sapienter censuisse.

Similis illorum Principum intemperies est, qui majoribus tormentis fundendis, pulvere nitrato aliisque belli instrumentis cumulandis omnem modum, suasque ipsi vires excedentes, alienam cu-

piditatem irritant magis, quam propellunt. Hippolytus à Collibus ab Electore Palatino ad Saxonem Septemvirum legatus, cum armamentarium Dresdense vidisset, prudenti ænigmate vanitatem rei coarguit, Principem suum tali armorum paratu minime quidem instructum dicens: at ipsius jussu nuper Fuggaros ingentem Cytharatum numerum in usum Aulę Heidelbergensis coëmisse. Statim autem apparuisse, male collocatam pecuniam; non repertis universâ Germaniâ cytharœdis, qui tot cytharis pulsandis sufficerent *(a)*.

Nec irritæ aut degeneres insidiæ fuere adversus transfugam & violatorem fidei] Hoc judicium è laxa sequioris seculi censurâ est, quâ licitari hostium capita inter concessas belli artes censetur. Veteres Romani Pyrrho Regi, hosti armato, exercitum in Italia habenti, ut à veneno caveret, prædixerunt; posteriores legatum consularem T. Quintium Flaminium, qui auctor esset Prusiæ Regi Bithyniæ, per scelus occidendi Hannibalis hospitis, miserunt. Quam morum mutationem Livius *(b)* observat. Antiquorum morum generositatem amplexus est Tiberius Imp. qui Adgan-

---

(a) *Zincrevius apophtegm.* (b) *dec.* 3. *lib.* 9. *Plutarch. Flam.*

Adgandestrio Cattorum Principi, Arminii necem promittenti, si venenum mitteretur, respondit; non fraude, neque occultis, sed palam & armatum populum Rom. hostes suos ulcisci (*a*). Et superiori seculo Catharina Medicæa Galliæ Regina Centurionem operam suam ad occidendum Andelotum Gasparis Colignii fratrem offerentem vinculis ligatum ad Andelotum remisit puniendum (*b*). Ludovicus Zuccolus in Meditationibus politicis & moralibus (*c*) insidias non omnes improbat, saltem illas, quas hostium manus exequuntur; sed illas tantum, quæ domesticorum civiumque animos in scelus impellunt. Quâ ratione Mutii Scævolæ & Judithæ facinus idem Zuccolus (*d*) Scipio Amiratus (*e*) & Arnoldus Clapmarius (*f*) defendunt.

Cæde ejus motæ Chaucorum mentes] Facile est, militarem seditionem, aut unius civitatis motum, sublatis seditionis authoribus (*g*) componere: neque isto casu promptius gliscentis discordiæ remedium est, quam si unus alterve maxime prompti

 subver-

(a) *Tac. 2. annal.* 88. (b) *Henr. Davila* 3. *hist.* (c) *Considerat.* 13. (d) *dict. loc.* (e) 2. *discors.* 13. (f) 5. *de arcan.* 7. (g) *Tac.* 1. *annal.* 29.

ſubvertantur (*a*). Nihil enim auſura eſt plebs, principibus amotis (*b*). At cum totæ provinciæ nutant, illorum, qui in populi animis regnant, ſupplicio exaſperatur magis quam reprimitur malum. Specioſa magis quam conſulta erat Procerum Hiſpanorum Oratio, quâ Philippo II. Regi ſuadebant; aliquot ex Proceribus Belgis cervices præcideret; horum exemplo admoneri reliquos, quid Rex poſſit: ne impune diſcant illudere principi, & in publicam pacem peccare; aſſueſcantque horrere hos motus, tam magnis expiatos exemplis. Neque ullum inde paci periculum; quando pœna ad paucos, indignatio ad infirmos pertingeret. Vulgus enim nullâ ſævitiâ irritatum, timidum & ſecors, crediturum, proceres meruiſſe hoc ipſum, quod paterentur: cum contra, pari ultione utrumque Ordinem provocando, nobilitas populum inventura ſit, quem ducat in Regem: populus vero duces, quos in bellum ſequatur (*c*). Huic ſimile eſt, quod Alfonſus Corſus & Abbas Delbenus Henrico III. Galliæ Regi ſuaſerunt, Guiſium ad ſe ventitantem in cubiculo regio trucidaret, additâ è ſacris literis ſententiâ: percu-

(a) *Tac. 4. annal. 17.* (b) *Tac. 1. annal. 55.* (c) *Nicol. Burgund. 3. hiſt. Belg.*

percutiam paſtorem, & diſpergentur oves (*a*). Verum neque Egmondani ac Hornani ſupplicio Belgarum, neque Guiſii cæde Gallorum factiones conquieverunt. Quomodo Gannaſci etiam cæde motas Chaucorum mentes Tacitus hoc loco, & Stachaonis ſupplicio ad rebellionem impulſos Auſturianos Ammianus Marcellinus (*b*). & alibi Tacitus (*c*) Julium Civilem à Vitellio periculo exemptum ſcribit; præpotentem inter Batavos: ne ſupplicio ejus ferox gens alienaretur (*d*). Nimirum in iſtis Italorum proverbio (*e*) locus eſt; non niſi velata facie crabrones irritandos.

Corbulo ſemina rebellionis præbebat] Anceps & aleæ plenum eſt, injuriis irritare libertate ferocientes populos: quo arma & rebellionem inducentibus tanquam meritis eripiantur, quibus inſoleſcebant, immunitates. Quo ſenſu acrius ſervitium iterum victis Tacitus (*f*) dixit. Succeſſit ats iſta Hiſpanis

(a) *Henr. Davila* 9. *hiſt.* (b) *Ammian. Marcellin.* 28. *hiſt.* (c) 1. *hiſt.* 59. (d) *v. Noſtra ad* 1. *annal. pag* 37. *Boccalin cent.* 2. *cap.* 44. & *cap.* 51. *Macchiav.* 3. *diſcors.* 6. *circa fin.* (e) *quod perpetuo in ore habebat Catharina Galliæ Regina.* (f) *Tac.* 3. *annal.* 45.

Hiſpanis in Aragonia (*a*): Contra nuper vertit in Catalanis (*b*).

Formidoloſum paci virum inſignem, & ignavo principi prægravem] Etiam non ignavo Principi, moræ, & lentitudo ducis, & trahendi bellum artes non ſemper placere poſſunt. Eſt enim aulicæ calliditatis pars, neceſſarium ſe ſuamque pace aut bello operam Principi reddere: iiſque patronum negociorum labyrinthis implicare, unde ſine Miniſtri ductu, tanquam Ariadnes filo exire nequeat: ſemina rebellionis præbere, bella ex bellis ſerere, validarum urbium arciumve ſubſidio ſe implicare, occaſiones, quibus confici bellum poſſet, omittere. Quomodo de Dillio Voculâ Tacitus (*c*) ait, corruptâ toties victoriâ non falſo ſuſpectum fuiſſe, *bellum malle*. Et Armandus Bironus Carolo filio, Lauream laureæ aggerenti, atque præcipitanti bellum dixiſſe fertur; lentius ageret, pluſque emolumenti in bello quam in victoria ſciret. Secus agentibus, ad olera domi plantanda redeundum fore. Iſto ingenio Bernardum quoque Claravillium Erycius Puteanus in hiſtoria Medicæa deſignat.

(a) *v. Forſtner. ad 2. Annal. verb.* cunctaque ejus facta, cum prohibere poſſet, ſcire malebat. (b) *Vide Victor. Sir. par. 2. hiſt. p.* 93. (c) 4 *Hiſt.* 35.

gnat (*a*). Huic incommodo vitando Othomanni Imperatores sapientissimo consilio exercitus primis Bassarum, quos Vezirios vocant, committunt: quibus summa in Aulâ auctoritate ac potentiâ pollentibus, nihil potius est quam cito finem bello imponere: quo perfunctis reditus ad Principem, neque aliter, conceditur (*b*).

Sed extra illum, quem modo notav. casum, semper verum est, formidolosum paci virũ insignem, & ignavo principi prægravem. Quippe ingrata temporibus militaris gloria, quibus sinistra erga eminentes interpretatio, nec minus periculum ex magna fama, quam ex mala (*c*). Domitiano id maxime formidolosum erat, privati hominis (Cnei Agricolæ) nomen supra principis attolli (*d*). *Sauli* Hebræorum Regi *Davidis* generi gloriam bello partam suspectam fuisse sacra historia tradit (*e*). Corbulonem eam ob causam à Nerone occisum Suetonii testimonio (*f*) constat. Consalvum Magnum Ferdinandus Rex ab exercitu abstractum ingloriam vitam ducere jussit.

(a) *Lib.* 1. (b) *Boccal. cent.* 2. *c.*46. *v. Forstn. Omiss. ad* 4. *annal. p.* 590. (c) *Tac. Agric.* 5. *vide Did. Savedr. Symb.* 10. (d) *Tac. Agric.* 39. (e) *Tac. Agric.* 39. (f) 1. *Reg.* 18. (g) *Sueton. Ner.*

jussit *. Iacobum Piccininum Braccianæ militiæ fortissimū ducem, nullo alio quam virtutis crimine reum Ferdinandus Aragonius Neapolis Rex in carcere necavit (†).

CAP. XX.

N*Ihil aliud prolocutus, quam, beatos quondam duces Romanos! signum receptui dedit*] Profecto liberum exercitus ductorem, neque malignis detrahentium interpretationibus obnoxium, adhæc formidine patroni, & fortuitorum belli solutum esse convenit (*a*): cum è longinquis præsertim terrarum spatiis consilia post res afferantur (*b*); & dum Princeps aut Senatus consuluntur, rei gerendæ occasiones præterlabantur. Vnde Fontanus Mediolani præfectus, mandatorum ab Aulâ securus, jactare solebat, *non posse absentes præsentia æstimare* (*c*). Sed hæc ex dominorum ingenio æstimanda sunt. Sunt enim, qui severæ antiquitatis æmulatione obsequium ministrorum cum damno, quam felicem inobe-

(*) *Iov. Guicciard. alii.* (†) *Io. Simoneta de reb. gest. Fr. Sfort. lib.* 31. *Macchiav.* 7. *hist. Florent. Comin.* 7. *Comment.* 11. (a) *v. Macchiav.* 2. *discors.* 33. *Amirat.* 15. *discors.* 6. *Forstn. Not. ad* 1. *Ann. verb.* nullis certis mandatis, &c.
(b) *Tac.* 3. *hist.* 8. (c) *Petr. Sarp. historia belli Venet. cum Paulo V.*

inobedientiam malunt. Sunt quoque ministri, qui jussa principis magis, quam incerta eventuum metuentes (*a*). exequi quam interpretari mandata tutius ducunt. Quo pertinet Vincentii Pinelli domesticus mos, in remp. administrandam non imprudenter traducendus: de quo ita tradit in vita Pinelli Paulus Gualdus Patricius Vicetinus: Quicquid imperasset, ad unguem factum volebat, ferebatque permoleste, si quid famuli aliquando non ex præscripto actitassent. Nihil non componebat ipse, & quidem meditatus, ad normam rationis. hanc abjici compendii vel sapientiæ obtentu, pati haut poterat. Quo facto familiarium fastum, nimiosque spiritus obtundebat; spe fortunatioris eventus, consiliique, ut ipsi arbitrantur, præstantia ab imperatis discedentium; cum detrimento ac pernicie eorum, quæ ipsorum fidei committuntur. Servis enim, ut ille ajebat, utilius est, parere, quam consilium afferre.

Vt miles otium exueret, fossam produxit, &c.] vide Nostra ad primum Annal. (*b*).

CAP.

(a) *Tac. 4. annal. 23. vid. Balthasar. Comitem Castilian. lib. 2. de Aulico.* (b) *Verb.* intermiserat solita munia. *& ibi in Omiss.*

CAP. XXI.

L*Argitione amicorum*] Quibus natalium decus, aut qualiſcunque muneris prærogativa ſuffragatur, iis in notitiam pervenire Principis, ſibique ipſis ad majores dignitates atque honores viam ſternere non adeo difficile eſt. At quibus nulla niſi propria dos eſt majorum imaginibus, & honorum initio deſtituta; illis niſi caſu quodam (a) aut inſigni facinore; aut alicujus ex Proceribus commendatione notitiam aut favorem Principis acquirere minime licet. Accidit tamen plerunque, ut horum quam illorum ſtabilior firmiorque potentia ſit: ſive quod illi nobilitati ſuæ cuncta deberi æſtimantes nullis patroni gratiam meritis provocent; hi contra domini favorem, ſervandæ potentiæ neceſſarium omni ſtudio ac induſtriâ demereantur: ſive Principes quoque Naturæ imitatione *Generare* & *Corrumpere*, extollere parva altaque deprimere ament. Igitur domeſticas amoliri anguſtias, & faſcium dignitatem volentes reſpicere in factioſam clientelam tranſire oportet; ibique patro-

(a) *v. Forſtn.* Omiſſ. *p.* 591. *& ſeqq.*

patronum omnibus officiis placare (a): humilibus ministeriis, neque sordidis tamen, altiora mereri: solicitâ nec perfunctoriâ promtitudine, & artificiosâ ostentatione, quâ quis dote excellat, commendationem sibi parare. Quibusdam & muliebres amicitiæ profuerunt. Jo. Mendoza, qui postea Inogosæ Marchio Mediolano, nostrâ memoriâ à Rege præfectus fuit, Lermæ Duci, & illius inprimis uxori se insinuavit; ministerio & officio assiduus, promptus, indefessus, & grata marito reverentia studiumque erga uxorem fuit; more regiæ Hispanicæ: ubi assidere, occurrere, comitari, denique famulum se præcipuis matronis profiteri extra crimen & suspicionem est. Ejus obsequii assiduitate tantum apud utrumque conjugum favoris adeptus est, ut equitatus omnis per Hispanias Locum-tenens, mox Bellicj Consilii Collega, ad extremũ tormentorum bellicorum supremus prefectus renunciaretur. Quæ ubi desideriis responderunt; acrius adhuc Mendoza institit servituti; comes domi, sectator in publico, apud Aulam indivisus: ut nemo jam quæri favorem sed officio debitum reddi crederet; hæc alia-
que

(a) *v. Io. Barcl. Apolog. Satyr. circa fin.*

que obsequiorum, dum veram potentiam retineret, in vili habens (*a*).

Adversus superiores tristi adulatione, arrogans minoribus, inter pares difficilis] Vitia, magistratibus provinciarumque præsidibus, & qui apud Principes gratiâ prævalent; plane fugienda! quibus contrariæ Virtutes, gravitas, humanitas, facilitas substitui debent. Qui locus, quod in illo perniciose ut plurimum peccetur, exactiore tractatu non indignus est. Nec tamen omnia, sed insigniora notasse sufficiet. Nam esse abstinentem, continere omnes cupiditates, juris æquabilem tenere rationem, & quæ alia morum doctrina præcipit, huc transferre, putidum esset, & ineptum. Majus operæ pretium habent, quæ M. Cicero in Epistola ad Quintum fratrem, Tacitus noster in Vita Cn. Agricolæ soceri, Tribonianus in Pandectis (*b*) ex veteribus Jurisconsultis, Trajanus Boccalinus in Commentationibus politicis (*c*), & Franciscus Baconus sexto capite operum moralium monuerunt. Ex quibus, quæ hîc omittentur, supplenda erunt. Igitur, inde incipiendum, ut novus provinciæ præses non segniter ad voluptatis titulum magistratum

(a) *Anton: Possevin. hist. Monferrat.* (b) *titt. de offic. Proconf. & de off. Præf.* (c) *Cent. 1. ragguagl. 41.*

ſtratum & inſcitiam referat; ſed noſcere provinciam, noſci provincialibus, diſcere à peritis, ſequi optimos, quodque tempus alii per oſtentationem, aut officioſas cæremonias terunt, ipſe labori & negotiis ſtatim impendere diſcat. Quo pertinet quod Vlpianus JC. libro primo de officio proconſulis (*a*) monet, proconſulem, antequam fines provinciæ ſibi decretæ ingrediatur, edictum debere de adventu ſuo mittere, continens commendationem aliquam ſui, ſi qua ei familiaritas ſit cum provincialibus vel conjunctio; & maxime excuſantis, ne publice vel privatim occurrant ei, eſſe enim congruens, ut unusquiſque in ſua patria eum excipiat. Deinde certum habeat, primis actionibus amorem aut odium, reverentiam aut contemptum conciliari: & prout initia cedent, fore univerſa.

Porro, in nullo ſæpius impingitur, ſed nunquam majori cum pernicie, quam quod novi provinciarum Rectores cerebrum novis inventis gravidum afferentes, novos mores, novos homines, nova inſtituta obtrudere provincialibus ſolent: quæ frequentiſſima turbarum & diſſenſionum

(a) *L. 4. D. de off. procons.*

num materia eſt.! Quanto prudentius eſſet, relinquere populis à majoribus acceptas conſuetudines. Magni enim faciunt provinciales, ſervari ſibi ſuas prærogativas (a). Inde regendis populis, aptiores judicantur, qui tardiori ingenio, quietoque res, homineſque, quales repererunt, eſſe ſinunt, quam qui omnia novandi cupidi res homineſque ingenio ſuo, plerunque heteroclito violenter adaptant, eo ſæpe ſucceſſu, ut à jurgiis veterem morem impugnantium propugnantiumque ad arma tandem & bellum provocetur. Cui conſequens eſt, quod & experientia docemur, feliciorem illorum eſſe prudentiam, qui nullâ eruditione, ſolà experientia res civiles edocti, quam qui è Platonis aut Mori doctrina civitatem condituri ad rempubl. accedunt. In quibus imperitiane major ſit, an arrogantia, merito dubites,

Ex eodem principio illud quoque deducitur gravis ac lenti potius quam prompti & acris laudem illi affectandam, qui populis rector à Principe datur; in illis præſertim negociis, in quibus bis peccare non licet, & ubi minus feciſſe, quam nimis, minus periculi habet.

Porro illud Rectori cavendum eſt, ne acria

(a) *Vlp. d. l. 4.*

acria publicæ administrationis initia sint, incuriosus finis. Nam qui nimio rigore & vehementiâ initia imperii sui insignire volunt, ii aut ad perpetuum severitatis tenorem suo & reipub. damno imprudenter se obstringunt, aut cum levitatis aut inconstantiæ vituperio ab austeritate ad subitam lenitatem transire, suosque ipsi mores pudendâ prævaricatione damnare coguntur.

Idem illorum error est, qui summe rigentem ac intensam primi anni diligentiam, ac assiduitatem paulatim remittere, mox in supinam negligentiam relaxare solent: qui, ut poëtæ boni, & actores industrii operam dare deberent, ut in extrema parte, & conclusione muneris quam diligentissimi, & ultimus annus imperii tanquam ultimus actus perfectissimus fuisse videatur: Sed uti nimio rigore, ita nimia quoque facilitate sæpe principes ipsi ac magistratus peccant. Vidi imbecillos homines & angusto animo, qui inconsulta promittendi præcipitatione in magnas se difficultates conjecerunt; ut aut res maxime noxias facere cogerentur, aut cum fidei & existimationis jacturâ negare concessa.

Antecessoris acta pravâ æmulatione neque carpat, neque rescindat: imo illius

egregie

egregie praveve geſta, quæque illi proſpera vel adverſa contigerunt, tanquam ſpeculum habeat & exemplar, ad quod ſe ſuaſque actiones componat.

Ante omnia domum ſuam coherceat; libertos, ſervitia, & inſolentiſſimam lictorum, accenſorumque nationem: ne juſtitiæ obtentu, furtis ac rapinâ provincialibus graves ſint; neque, quod plerunque ſolet, admiſſionem ad dominum precio vendant. Denique hæc opinio ſit, non modo iis, qui aliquid acceperint, ſed iis etiam qui dederint, præfectum, ſi id cognoverit, inimicum futurum.

Facilem ad ſe aditum præbeat: pateant aures ejus querelis omnium: nullius inopia ac ſolitudo non modo nullo populari acceſſu ac tribunali, ſed ne domo quidem & cubiculo excludatur.

Temporibus ſua negocia aſſignet, & negociis tempora. ſemel cœpta perficiat; præcipua, & quæ moram non ferunt, ante alia: neque confundat, quæ diverſis temporibus peragi debent.

Triſtitiam & arrogantiam exuat; ita attemperatis moribus, ut nec facilitas auctoritatem, nec ſeveritas amorem diminuat. Acerbi, injucundi, minaces, cruces & patibula perpetuo crepantes remigibus, quam

res sunt (*a*). Qualis Bechesinus Trino à Francisco Mantuæ Duce impositus: qui odii securus, universos terrore ac minis perterrefaciens, quo dictis obsequentiores redderet, & imperio plus existimationis adjungeret, fastum & rigorem tanquam in inimicos induit; reverentiam disciplinæ, & honorem Principis appellans. Verum id apud nauseantes minus obedientiæ, plus indignationis concivit (*b*).

Humanum & comem se omnibus, familiarem paucis præbere debet. nam uti amorem mansuetudo morum, ita contemptum nimia familiaritas conciliat.

Iratus neque proloquatur quicquam, neque consilium ineat, neque aliquid statuat: sed rationis per iram à sede sua exulantis reditum præstoletur.

Omne Præsidis provinciæ officium expletur Pacis, Panis, & Iustitiæ cura.

Publicæ quietis interdum, quam rigidæ justitiæ majorem rationem habeat: ideoque in potentium ac factiosorum litibus prudentia jurisdictionem temperet.

Ad hoc temperamentum pertinet quoq;

(a) *Vide Boccalin. cent.* 1. *cap.* 41. *pag.* 150. & *cap.* 50. *p.* 302 & *cent.* 2. *cap.* 81.
(b) *Possevin. hist. belli Monferrat.*

omnia ſcire, non omnia exequi, parvis peccatis veniam, magnis ſeveritatem commodare; non accendere intempeſtivis remediis delicta; nec pœnâ ſemper, ſed ſæpius pœnitentiâ contentum eſſe. Cogitare, vitia fore donec homines. Mundum eſſe, in quo vivitur, non cœlum; inter homines, non cum Geniis: & iſthic tantundem eſſe vitiorum, quantum hominum.

In jure dicundo aſſiduus eſto, gravis, intentus, ſeverus & ſæpius miſericors. Nullo favore aut odio perrumpatur. Cum advocatis diſceptare indecorum judici: cujus proprium officium eſt, audire diſceptantes, de cauſa cognoſcere, litemque ſententia definire.

Omnes lites cum provincialibus fugito: ac, ſi quando cum privatis jure experiundum erit, forum ac jus concedito.

Potentium precibus delictorum, ac præcipue ſeditionum ac turbarum reos nunquam concedito, majoribus turbis materiam daturos.

Controverſias cum vicinarum provinciarum præfectis vitato: vel cauſa & jure, nunquam armis decidito.

Caveat, ne ruptæ pacis cum vicino principe, ac cœpti belli cauſa vel occaſio ipſi imputari poſſit.

Mino-

Minora negotia pro majorum delinimentis habeat; venationem quoque, hortum, & ſtudia. Choreas cum matronis ducere, aulæ aſſeclas; aleâ & chartis ludere, vernas & lixas magis decet. Pudendum eſt luſu noſci, quomodo Julius Cardinalis Mazarinus Hocco.

Jura ac dignitatem officialium, qui ſub ipſo militant, inviolata ſervet: decentiuſque eſſe ſciat, ſuo auſpicio ac conſilio dirigere negocia, quam ipſum gerere.

In periculoſis, & odio invidiæque expoſitis negociis, ſive cum civibus, ſive cum exteris ita ſe gerat, ut non ſe, ſed Principem illorum auctorem omnes agnoſcere poſſint. At ſi quæ ex animadverſionibus ac repulſis timentur odia, ea in ſe transferre, objectuque ſui Principem tegere ab invidia, illi beneficentiæ materiam, illi gratiam ſeponere, prudentis ac fidelis miniſtri eſt.

In levioribus Principem interpellare, importuni & inepti eſt: in majoribus eundem præterire, contemptus argumentum. Inogoſæ Marchionis, Mediolani non ita pridem Gubernatoris gratia in Aulâ Hiſpanicâ eam præcipue propter rationem fluctuavit, quod Rex & Proceres, ad quos provinciarum res omnes referri debent,

ſilente illo, aliena fere diligentia non ſumma ſolum, ſed & infima didiciſſent (*a*). Itaque leviora & minoris momenti negocia ipſe pro captu, ardua nunquam inconſulto Principe Præfectus expediet: Etiam infelix, & ſine ſucceſſu obſequium excuſationem habet. temeritatem ſui conſilii ſuo quiſque periculo luit.

Præpotentium in Aulâ hominum amicitiam omni cultu, etiam donis retinere extra culpam eſt.

Parem ſe negociis, neque ſupra (*b*) monſtret. Sunt enim Principes, qui in deligendis miniſtris uti vitia oderunt, ita nec eminentes virtutes ſectantur (*c*). Quam alicubi (*d*) rationem Trajanus Boccalinus aſſignat, cur Principes neglectis præclaris, ſed arrogantibus, &, quod ſequi inde neceſſum eſt, ingratis ingeniis plerunque ad illos, qui parum digni videntur, quique in ſola erga patronum fide omnes ſuas opes, ſpeſque ſitas habent, gratiam & favorem omnem largiſſime derivent. Eandem ob cauſam Franciſcum I. Gal-

(a) *Idem Poſſevinus hiſt. Monferrat.*
(b) *Tacit. 6. annal.* 39.
(c) *Tacit. 1. annal.* 80.
(d) *Cent. 1. raggu.* 77.

I. Galliæ Regem poſtremis regni annis Annam Mommorantium, ſumma olim & ardentiſſima apud ſe gratia, à negociis & Aulâ ſemoviſſe tradit Henricus Davila (*a*), tanquam intimos regis ſenſus, moleſtiſſima ingenii ſagacitate exploraturum. Idem ſcribit (*b*) Ludovicum Gonzagam Nivernium Henrico III. Regi ingratum ideo fuiſſe, quod ſuam prudentiam, qua ſane præpollebat ſingulari, cunctis negociis normam eſſe volebat. Et alibi (*c*) eundem Henricum Pinartum, Brutartum, Villaregium, à Secretis, Chiverniuin Nomophylacem, & Belleureum ſumma omnes & exacta civilium rerum ſcientia eminentes ſimul dimiſiſſe, inque illorum locum homines ſubrogaſſe, mediocri ingenio, ac prope nullum reipublicæ uſum habentes, ſed certiſſimæ exploratæque erga ſe fidei.

Nunquam in ſuam famam geſtis exultet: ad auctorem & principem fortunam referat. Ita virtute in obſequendo, verecundia in prædicando extra invidiam, nec extra gloriam erit.

Illas tutiſſimas ac maxime quietas

(a) 1. *Hiſt.*
(b) 8. *Hiſt.*
(c) 9. *Hiſt.*

reputet provincias, quarum habitatores mercimoniis ac Agriculturæ dediti. Pace & Pane facile in officio continentur: contra fastidio molestiisque pœnas, quæ turbulenta Nobilitate frequentes omnem legum ac juris authoritatem vi, ambitu, postremo pecunia perrumpunt. Claudo hunc locum egregio præcepto, quod tametsi à Galba Principibus præscriptum, etiam magistratibus optime convenit: Vtilissimus idem ac brevissimus bonarum malarumque rerum delectus est, cogitare, quid aut volueris sub alio principe, aut nolueris (a).

CAP. XXII.

C*Ensuit spectaculum gladiatorium per omnes annos celebrandum pecunia eorum, qui quæsturam adipiscerentur*] Id est, adipisci volebant. Correxit pravam sententiam sub Nerone Senatus, ne designatis quidem quæstoribus edendi gladiatores necessitas esset. (*)

Ne ætas quidem distinguebatur, quin prima juventa Consulatum ac dictaturas inirent] Vide Machiavellum primo dissertationum ad

(a) 1. *hist. lib.* (*) *Tacit.* 13. *annal.* 5. *vide Lips* 1. *Saturnal.* 12.

ad Livium, capite sexagesimo; & Scipionem Amiratum libro XI. cap. V.

Senatui, cui judicia tradiderat. & quanquam equites judicia recuperavissent, &c.] Multa sæpe in republ. mutantur, nullo fructu: quia morum difficilima mutatio est: & plerunque magis alii homines fiunt, quam alii mores (*a*). Magnam rem fecisse sibi C. Gracchus videbatur judiciis à Senatu, quem ambitus, sordiumque arguebat ad Equites Romanos translatis. At illi turpius etiam licentiusque peccabant (*b*).

Libera olim Republ. summa potestas, & præcipuum reipubl. arbitrium penes illum civitatis ordinem erat, qui judicia exercebat. Hinc toties seditione aut armis certatum, cum Semproniis rogationibus equester ordo in possessione judiciorum locaretur, aut rursum Serviliæ leges Senatui ea redderent (*c*). Et C. Gracchus perlata lege de judiciis à Senatu ad Equites transferendis, haut falso dixit, actum jam de Senatus potentia (*d*). Alia rerum facies postea sub principibus fuit: qui belli & pacis, ac magistratuum creandorum

 causa,

(a) *Tac. 2. hist. 95.* (b) *Appian. 1. Civil.*
(c) *Tac. 12. annal. 60.* (d) *Appian. 1. Civ.*

causa, comitiorum arbitrium sibi servantes, Senatum privatis causis judicandis occupabant (*a*). In Gallia quoque aliquoties(*b*) & nuperrime Reges Curiam Parisiensem à regni publicis negotiis remotam juri tantum dicundo vacare jusserunt.

Donec sententia Dolabellæ velut venundaretur] In turpissimam honorum & dignitatum nundinationem omnium extant invectivæ: & plerunque Gallia hoc nomine vapulat. Attamen repererunt Ioann. Barclajus (*c*) & Isaacius Pontanus (*d*) argumenta, quibus improbatum aliis morem defendere aut excusare aggressi sunt.

CAP. XXIII.

P*Rimores Galliæ, quæ Comata appellatur, fœdera & civitatem Romanam pridem assecuti*] Ita plerunque fieri solet, ut exteri initio non nisi in civitatem admitti, civiumque numero censeri petant: in qua postquam opes & incrementa acquisiverunt,

(a) *Tac.* 13. *ann.* 4.
(b) *Vide Bodin.* 3. *de Rep. Davila* 3. *hist.*
(c) *Icon. animor. cap.*
(d) *Itinerar. Narbon. p.* 148.

runt, ab honoribus & imperiis prohiberi injuriam reputant; adeoque votorum immodestiam sæpe per turbas ac seditiones tuentur. Sed ad illam quæstionem; sitne exteris civitas danda, nec ne? sine distinctione responderi non potest. Sane hospitalitatis jura miseris afflictisque exhiberi non naturæ tantum ac humanitatis, sed & Sanctissima Dei Optimi Maximi lex severissimis sanctionibus jubet. Sed hîc non de officiis uni alterive præbendis, sed de omnibus indistincte exteris in civilem societatem alliciendis agitur; non alienæ miseriæ sublevandæ, sed magnitudini civitatis. Profecto nullâ re magis ac hominum frequentiâ opus est civitati, quæ ad magnum Imperium adspirat. Romani, durante Republ. à civitatis incunabulis, & à conditoris Romuli usque Asylo plerosque populos primo hostes, dein cives habuerunt. Insecutis temporibus Imperatores ipsi exteras nationes in solo Romano collocarunt. Hodie Turcæ, & qui alii Reges impostoris Mahumeti superstitiones amplectuntur, exteris omnibus receptum apud se præbent liberrimum: ut Hieronymus Conestagius *(a)*
D 5 scripse-

(a) *lib. 2. de conjunct. Portug. cum Castil.*

ſcripſerit, Mauritaniæ Regi contra Sebaſtianum Luſitaniæ Regem pugnanti non minus decem millibus ex Hiſpaniis oriundorum adfuiſſe. Quæ contrariis inſtitutis vixerunt, civitates, alienigenas tanquam hoſtes arcentes, uti olim Spartani, & hodie Veneti; domeſticæ quietis quam proferendi imperii cupidiores fuerunt. Veriſſime enim cenſuit, qui magnam quietem, & magnam fortunam neminem eodem tempore aſſequi poſſe aſſeruit *(a)*. Quod non in privatis tantum, ſed publicis rebus locum habet. Eſt enim compertæ veritatis, ad tranquillitatem & civilem æqualitatem formatas civitates nunquam ad magnam potentiam, magnamque famam perveniſſe: ex diverſo rerum geſtarum gloria inclytas nunquam quietas fuiſſe *(b)*. Vt mirum non immerito videri debeat, cur qui affectari in Orbem terrarum Imperii accuſantur, Hiſpani ejectis Maurorum Hebræorumque ingentibus copiis ſibi ipſis ſolitudinem fecerint; & Caſtoris inſtar ipſi ſibi virilia exſecuerint: aut ſi gentium illarum perfidia nullam

(a) *Author Dialog. de clar. Orator.*
(b) *Vide Forſtn Not. ad 4. annal. verb.* plerunque inopes ac vagi ſponte, *&c.*

nullam regibus securitatem relinquebat, cogebatque ad damnosum exilii remedium, certe temperanda ambitio erat, neque attentandum imperium, quod neque quæri sine magnis exercitibus, quibus supplendis perpetui populosarum provinciarum fontes requiruntur, neque conservari potest.

Quanquam meo quidem iudicio facile erat, retinere domi Maurorum gentem, neque timere. Non erant victi pro alienigenis arcendi, sed in civitatis, nuptiarum, & sanguinis communionem alliciendi. Fastus igitur fuit Hispanæ genti adgnatus, intemeratam sibi suam servare nobilitatem, omnemque cum Afris affinitatem superbe dedignari. Quæ contumelia Maurorum perfidiam, perfidia Hispanorum indignationem irritavit.

Sunt & aliæ rationes, quæ amplificandæ civitatis studium cohibere debent: ut cum in eam assurrexere magnitudinem, quæ commode regi gubernarique amplius nequit. Qualis hodie Lutetia Parisiorum est, cujus pomœria proferri semper vetatur, & semper permittitur. Simile est in illis civitatibus, quæ ex privilegiorum immunitatumque prærogativis superbiam, atque inde contumaciam induunt;

 cui

cui novorum civium additione novas vires addere aliud non eſt, quam oleum camino affundere. Quo errore Illuſtriſſimi Comites Hanavienſes civitati ſuæ exulum opibus ac divitiis affluentium receptione tantum potentiæ addiderunt, ut paulo ante non niſi precario imperaſſe videantur.

Tandem neque illæ urbes de augendo civium numero cogitare debent, ubi alendo populo ſuburbanus ager non ſufficit: & quas vicinorum principum odio, æmulatione, avaritiâ frugum ac pacis commercio arceri, eoque modo fame ſubigi facile eſt. Quo cum malo Ratisbona plerunque conflictatur.

Inſignia patrum, decora magiſtratuum ne vulgarent] Vulgati inter indignos & immeritos, honores ipsâ frequentiâ vileſcunt. quod alibi à me notatum memini (*a*). Et ſimile eſt, quod quarto Annalium (*b*) Tiberius dixerat; vaneſcere honorem, ſi promiſcuis adulationibus vulgetur. Quo fit, ut poſtquam dignitates indignis quoque tributæ ſordeſcere ac contemni cœperunt, Principes identidem novos

(a) *ad 4. annal. 37. adde Bodin. 5. de rep. 4.*
(b) *cap. 37.*

vos honores, novasque dignitates excogitare necesse habeant. Quod ab Henrico tertio Galliæ Rege factum fuit; superinducto antiquo S. Michaëlis, novo Sancti Spiritus Equitum Ordine. Neque tamen ista honorum, præmiorumq; virtuti debitorũ prophanatio semper inconsultam Principis facilitatem arguit, sed interdum singulare servandæ dominationis arcanum est. Quâ arte Cæsares Romani communicato civitatis Romanæ & honorum jure cum finitimis populis, & postremi cum omnibus, qui sunt in Orbe Romano; jus vetus & prærogativam civium Romanorum extinxerunt, atque Romani provincialibus exæquati sunt. quod à Paulo Busio Jurisconsulto Frisio, & Christophoro Besoldo, meo olim præceptore in politicis, annotatum (*a*), à Juliano Cæsare olim observatum fuit, qui Constantinum (*b*) incusabat, quod barbaros omnium primus ad usque fasces auxerat, & trabeas consulares (*c*). Aliter ac illi, qui poëticâ aut oratoria libertate summis eam rem laudibus extu-

(a) *adde Forstn. ad 2. annal. pag.* 174.
(b) *de quo idem tradit Euseb.* 4. *de vita Constantini.* 7.
(c) *Ammian. Marcellin.* 21. *hist.*

extulerunt ; Rutilius Numatianus (†) & Nazarius in Panegyrico (*).

CAP. XXIV.

QUid aliud exitio Lacedæmoniis &c.] Ad hunc locum videnda ſunt, quæ Machiavellus tradit ſecundo diſſertationum ad Livium (*a*), & Amiratus ůndecimo (*b*).

CAP. XXV.

IN numerum patriciorum adſcivit vetuſtiſſimum quemque è Senatu, aut quibus clari parentes fuerant] Ex præcipuis moleſtiis, quæ Principes ſuſtinent, eſt honores & præmia petentium, ambientiumque importunitas, amicorum etiam in aulâ potentium, quique ſibi quicquam negari injuriam æſtimant, officiis plerunque ſuffulta. Preces afferunt; ſed quibus contradici non

(†) *Itinerar. prior. in his verſibus*:
Relligioſa patet peregrinæ Curia laudi :
Nec putat externos, quos decet eſſe ſuos.
(*) *Illis verbis: Senſiſti Roma, tandem arcem te omnium gentium, & terrarum eſſe reginam, cum ex omnibus provinciis optimates viros Curiæ pignoraveris: ut Senatus dignitas non nomine, quam re eſſet illuſtrior, cum ex totius orbis flore conſtaret.*
(a) *cap.* 3. (b) *cap.* 6.

non poteſt *(a)*: & dum unum beneficio obligat Princeps, plures repulsâ offendit. Vt non immerito Henricus Cajetanus Cardinalis inter primarias prudentis Principis condiciones retulerit, *ſcite negandi artem*; regnandi imperitum aſſerens, qui negare neſciat *(b)*. Eſt igitur optima cautio, vetuſtiſſimum quemque è collegio, & qui longi ſervitii prærogativâ cæteros omnes antecellat, in petitione honorum præferre. Quandoquidem virtutis & meritorum inter plures comparatio invidiæ plena; temporis privilegium extra controverſiam tantum unius eſt *(c)*. Proximus illis locus debetur, quibus clari parentes fuerunt, nobilitate antiqua, & egregiis in rempubl. meritis. Nam & iſtos ſi modo propriâ dote non deſtituantur, admoveri reipubl. ac dignitatibus novi homines, utcunque excellant, ægre ferre non debent. Quibuſdam in more poſitum eſt, magiſtratibus adhuc viventibus, ſenii, morborum, aliove prætextu collegam atque adjutorem dare, qui ſucceſſioni deſtinatus aliorum ſpes atque vota excludat. Eodem conſilio alii in decedentis locum, antequam novorum candidatorum multitudo affluat, quem

(a) *Tac. 4. hiſt. 46.* (b) *Boter. apopht.*
(c) *Boccalin. cent. 2. raggu. 27.*

quem muneri quam maxime idoneum judicant, sufficiunt. Quomodo Carolus IX. Galliæ Rex triremium præfecturam, morte Ellebovii vacuam, quam Mervum, Momorantii fratrem, invisum sibi, petiturum sciebat, festinato studio in Baronem Gardæ contulit (*a*). Ejusdem solertiæ est, potentiori competitore prensationem aliorum submovere. Quomodo nuper Vrbanus VIII. Pontifex & Barbarini Rinaldum Atestinum Mutinæ Ducis fratrem à Cardinalatus petitione arcere nitebantur, subornatis Friderico Hassiæ Lantgravio & Comitis Trautmansdorffii filio, qui Imperatoris suffragio competitorem excluderent (*b*). Idem Carolus Galliæ Rex, quem modo dixi, alio tempore non personas tantum, sed & officiorum nomina in eum finem mutavit. Nam cum Condæus Conestabilis secundam à Rege dignitatem importunâ flagitatione ambiret, Rex Henricum Andium Ducem, fratrem suum produxit, qui armorum imperium Locumtenentis Generalis nomine peteret (*c*).

Mitem & recens repertam, quam ex severitate priscâ rationem &c.] Nota commodam rationem consulendi alienæ famæ, non

(a) *Davila.* (b) *Victor. Sir.*
(c) *Davila.*

non depellere aut ejicere Senatu, tanquam famoſos probris, ſed admittere excuſationem ætatis, paupertatis, valetudinis. & motos & excuſatos ſimul proponere: ut judicium cenſorium, ac pudor ſponte cedentium permixti, ignominiam molliant. Ita laudavit Nero „ qui ob anguſtias familiares ſponte ordine Senatorio cederent, motique, qui remanendo impudentiam paupertati adjicerent *(a)*. In Galliæ regia ſæpius uſitatum, pulſos provinciarum adminiſtratione præſides pecuniâ placare; compenſandæ injuriæ. Simile eſt „ quod me alicubi legere memini, Principem, cui magni pretii annulus ab uno famulorum furto ſubtractus fuerat, convocatis univerſis farinæ aut furfuris cumulum monſtraſſe, cui omnes manum, & ille, qui fur erat, annulum inderet. Ita qui delicti ſibi conſcius erat, ſocietate eadem facientium tectus tutuſque ſine contumelia & pœna reddebat, quod furatus fuerat. Alios modos huic geminos addam ad lib. XIII. *(b)*

Cenſa ſunt civium LXIX. *centena*, & XLIX. *millia*] De iſto cenſu Claudiano

(a) *Tac.* 12. *annal.* 52.
(b) *cap.* 30.

diano extat ad me scripta Epistola, Magni olim virtute & eruditione, mihique, dum fata Deusque sinebant, amicissimi viri, Laurentii Pignorii: cujus exemplar ex autographo, quod apud me est, hîc ederem, nisi ipse Pignorius inter alias epistolas pridem Patavii edidisset.

CAP. XXVI.

IMminentium periculorum remedium ipsa pericula ratus] Vide Nostra ad VI. (*) & XIII. (†) Annal.

Scelus inter ancipitia probatum, veris mox pretiis æstimaret] Nam perfecto demum scelere magnitudo ejus intelligitur (‡).

CAP. XXVIII.

POsse opprimi damnatam antequam ream] Vide, quæ ad XIII. (a) ad hujus loci intellectum dicemus.

CAP. XXIX.

POtentiam cautis quam acrioribus consiliis tutius haberi] Duæ sunt gratiæ ac potentiæ

(*) cap. 50. (†) cap. 15. (‡) Tac. 14. annal. 10. adde Freinshem. ad Curt. 8. 2. 1. & seqq.
(a) cap. 20.

tentiæ in Aula ſervandæ rationes, inter ſe plane contrariæ. Prior eſt, principis, & qui ſanguine principi juncti, aut proximæ ab illo potentiæ ſunt, gratiam, favorem, auxiliũ ambire: comitate illos, beneficiis & officiorum promptitudine ad reddendam vicem obligare; omne denique potentiæ fundamentum in illorum benevolentia repoſitum habere. Altera, ſuâ vi, nec ullius favore niti; conſcientiâ tutum, artes obſtantium æmulorum vi perrumpere: poſtremo contra calumnias & pericula ſubſidia, pecuniam, loca munita, portus maritimos, amicos parare. Calliſtus priori modo tutius haberi potentiam pronuntiat. Neque tamen negari poteſt, illam potentiam precariam fore: & maximos viros, Ximenium atque Richelium in hoc à patronis delectos, ut ambitioni Procerum opponerentur „ haſtam, condemnationem, carnificem ſæpius, quam blanditias & preces uſurpaſſe. Quid dicam? Lubrica omnis ad Aulam, & in Aula via eſt, periculis & præcipitiis plena; & quæ plane ductore Deo & bono Genio opus habet.

Duas pellices &c. perpulit delationem ſubire] Vide Noſtra ad XIII. annal. (*a*).

CAP.

(a) *cap.* 20.

CAP. XXX.

N*Upsisse Messalinam Silio exclamat*] Crimen atrociter defert(†).

CAP. XXXI.

S*Ecuritati antequam vindictæ consuleret*] Nec irâ, nec odio, nec ullo alio affectu superari Principem, publicâ tantum utilitate duci debere supra ad hunc librum *(a)* monui. Catharina Medicæa Galliæ Regina illud perpetuo in ore habebat; non fodiendos crabrones, nisi facie bene velatâ *(b)*. In quem sensum digna legi extat Trivisani, Senatoris Veneti Oratio apud Guicciardinum *(c)*. Reprehenditur à Tacito Bardanes, quod in Seleucienses, ut patris sui defectores magis quam ex usu præsenti accensus implicaverit se obsidione urbis validæ *(d)*. Notatur ab aliis Philippi II. Hispaniarum Regis ex eodem fonte peccatum, facturum se potius Belgii jacturam afferen-

(†) *vide Nostra ad* 13. *annal.* 19. (a) *cap.* 8. *adde Didac. Savedr. emblem.* 8. (b) è necessario copri si bene il viso, inanzi che stuzzicare il vespaio. *Henr. Davil.* 9. *hist.* (c) 4. *hist.*
(d) 11. *annal.* 8.

asserentis, quam contra decorū & authoritatem regiam Belgis indulgeret (*). Eundem errorem erravit Franciscus Mantuæ Dux, qui honestæ paci anceps bellum ante habuit, tantum quod S. Georgii Marchioni Sabaudi partes secuto ignoscere nollet (†): & nuperrime Carolus Britanniarum Rex, qui trium regnorum damnum se ante facturum dicebat, quam Hulsæ præfecto delicti gratiam faceret (‡).

CAP. XXXII.

QUanquam res adversæ consilium adimerent] Infelicibus (a) & pavidis (b) & illis principibus, atque civitatibus quæ nullis propriis viribus nixæ aliorum benevolentiâ, auxiliisque subsistunt (c) consilia in incerto sunt. Adimunt enim pervertuntque res adversæ pavorque & virium defectus constantiam : ut semper

(*) *Coneflag. 4. de bell Belg.* (†) *Ant. Possevin. hist bell. Monferr.* (‡) *Victor. Sir hist. tom. 2. lib. 1. Reliqua vide in Nostris ad* VI. *annal. verb.* reputante Tiberio, publicum sibi odium *&c.*

(a) *Tac. hic.*

(b) *Tac. 3. annal. 9.*

(c) *Macchiav. 2. discors. 15.*

ſemper deterius credatur, quod evenit (*a*); & præſentia maxime diſpliceant (*b*), atque optima videantur, quorum tempus effugit (*c*). Non eſt igitur mirum, cum homines, quorum celebrata omnium opinione prudentia eſt, turbatis reipubl. temporibus; illos incurrere errores cernimus, qui à mediocris induſtriæ hominibus nullo negocio vitantur. Documento eſto præſens Galliæ ſtatus. Magni homines! pudendi errores. Longâ experientiâ didici, ſæpius in Senatu, & conſeſſibus, ubi de republ. agitur, & magno quidem æſtu diſceptari, quid dicendum, quid reſcribendum illis, quos dubios amicos aut profeſſos hoſtes habemus, quam quid faciendum ſit. Quam ego rem ſemper ſtultam credidi, & abſurdam. neque enim, quæ verba negociis accomodari debeant, ante conſtitui poteſt, quam quid agendum, quid petenti concedendum, quid contra negandum, firmo animi decreto ſtatuerimus. Sed eſt id parvæ mentis, & vel conſilio vel viribus deſtitutę vitium, miſcere invicem conſilia, dein ſpernere (*d*); & recentiſſimum quodque vulnus pavere, ſummi diſcriminis incurioſum (*e*).

Ire

(a) *Tac* 15 *annal.* 36. (b) *Tac.* 3. *hiſt.* 85. (c) *Tac.* 1 *hiſt* 39, (d) *Tac. Agric.* (e) *Tac.* 3 *hiſt.* 56.

Ire obviam & aspici à marito, quod sæpe subsidium habuerat] Qui magnis inimicitiis, ac magnis accusationibus clarescere, & per obstantium ruinam gradum sibi ad potentiam sternere voluerunt, uni maxime rei operam & studium omne accomodarunt, atrocitate criminum prævalere; opprimere damnatum antequam reum, utque clausæ principis aures etiam confitenti essent (a). Et fere accidit, ut qui id obtinere non potuerunt, sibi ipsis perniciem attulerint. Agrippina apud Neronem à Junia Silana & clientibus rerum novarum accusata *colloquium filii poposcit:* ubi nihil pro innocentia, quasi diffideret, nec beneficiis, quasi exprobraret, disseruit: sed ultionem in delatores, & præmia amicis obtinuit (b). Nuper Cardinalis Richelius Regi Ludovico, & Reginæ matri de ipsius exitio in secretâ palatii (c) parte (cujus omnes aditus portasque summâ diligentiâ claudi servarique Regina jusserat) deliberantibus, per posticum à præcipuâ ex gynæceo matrona (d) introductus, inopinus supervenit: tantumque validissimo ingenio effecit, ut confirmatâ imposterum poten-

(a) *Tac.* 1. *hoc lib.* (b) *Tac.* 13. *annal.* 21.
(c) *au Luxembourg à Paris* (d) *Zuccola, dame de Chambre de la Reyne.*

potentiâ Reginam matrem, universamque æmulorum factionem subverterit.

Id repente solitudinis erat] Vide quæ ad XIII. notavi (†).

CAP. XXXIII.

N*On aliam spem incolumitatis Cæsaris affirmat, quam si jus militum uno illo die in aliquem libertorum transferret*] Vervex! caudex! qui jus militum in alium transferebat, imperio ipse se abdicat. Et tamen, cum juventâ rudes, aut senectâ graves, aut ignavo ingenio Principes sustinendo reipubl. oneri impares sunt, aut quando in populari republ. ancipitia pericula consultationum inter plures religiosum ordinem non expectant; ad unum transferri summam belli pacisque potestatem; res est, quæ exemplis non caret. Operæ pretium est, legere notareque apud Henricum Davilam (*a*) Guisiorum artes, quibus supremum pacis & belli tempore imperium Francisco II. Regi ereptum in se transtulerunt. Etiam illud verissimum est, omniumque temporum usu comprobatum, neque Optimatum, neque popularem statum munus suum tueri posse, nisi imagi-

(†) *cap.* 19. (a) 1. *histor.*

imaginem quandam principatus induat (*a*). Vt ex hastâ quantumvis longâ palmus ferreæ cuspidis tantùm plagam facit: ita semper in magnâ civitate aut imperio pauci aliqui sunt, quorum spiritu publica inflantur, impetu præcipitantur, ardore incenduntur, motu agitantur, vi sustinentur, cætera turba horum accessio sunt. Quod vir recti exactique judicii, amicus meus Io. Henricus Bocclerus prudenter notavit in Oratione de Velleji Paterculi historia.

(a) *Andr. Fric. Madrev.* 1. *de republ. emend.* 10.





CHRISTOPHORI FORSTNERI, Ad C. CORNELII TACITI Annalium librum duodecimum,

NOTÆ POLITICÆ.

CAP. I.

HUic Pallas, illi Callistus fautores aderant. &c. Ipse modo huc, modò illuc, ut quemq; suadentium audierat, promptus.] Misera Principis cōdicio! qui judicio proprio destitutus, amicorū in diversa tendentiū dissentientibus consiliis distractus, neq; fidem cujusq;, neque occultos fines favore, odio, ambitione, avaritia corruptos discernere atque intelligere potest. Pestis consiliorum! quam nec cautissimi Principes unquam satis coërcuere. apud infirmum & credulum majori licentia privata utilitas peccat: & præ-

prætextu consilii dandi *quisq; sibi tendit*(*a*); privatas spes agitantes sine publicâ curâ (*b*). Etiam natura atque institutio homines aliâs minime malos transversos agit: & ut quisque moribus tristior aut dementior est, ita severitati aut indulgentiæ favet. Etenim consilia sibi quisque attemperat, & judicium naturâ extorquente, putamus causæ tribuere quod nostris moribus indulgemus. Exemplis id clarum fiet. T. Vinius, Cornel. Laco, & Icelus libertus, omnes apud Galbam summa auctoritate, aliâs discordes, etiam circa consilium eligendi successores in duas factiones scindebantur. Vinius pro Othone: Laco atque Icelus consensu non tam unum aliquem fovebant, quam alium. Et fovebat Vinius Othonem: quia illi vidua filia, cælebs Otho, gener ac socer destinabantur. (*c*) Ludovico XI. Galliæ Regi bellum in Carolum Burgundiæ Ducem suadebat S. Pauli Comes, speciosis sane argumentis; sed consultori quam Regi utilius. quippe minorem in pace auctoritate, in bello summam Contestabilis potentiam, quadringentorum equitum cataphractorum stipendium, & trigin-

(a) *Tac.* 1. *hist.* 13. (b) *Tac.* 1. *hist.* 19.
(c) *Tac.* 1. *hist.* 13.

& triginta mille Francorum annuam pensionem reputabat. quibus servandis Regem exitiabili bello implicari oportebat. (a) Post pugnam ad Tarum; & Novariam cum Duce Aurelianensi à federatis Italis obsessam, in consilio Caroli Regis quærebatur, pax an bellum placeret. Et quanquam omnia Gallis adversa pacem suaderent, Jo. Jacobus Trivultius tamen, & Ferrariæ Dux bellum præferebant; ille erga Ludovicum Sfortiam odio; hic ob spem recuperandi, quæ à Venetis sibi erepta querebatur. (b) Georgius Cardinalis Ambosius Ludovici XII. Regis, patroni vim in perniciem Alexandri VI. Pontificis & Cæsaris Borgiæ intentam, suis consiliis divertit: privato beneficio Papam sibi obligaturus, & per famam patrocinio suo protecti atque defensi status Ecclesiastici ad Pontificiam dignitatem sibi paraturus aditum. (c) Idem Ludovico Regi persuasit, è carcere Romam dimittere Ascanium Sfortiam Cardinalem; secreta pactione obstrictum, conciliandi sibi Pontificatus. (d) Philippo Mornæo, Obignio, cæterisque Re-

(a) *Comin.* 3. *Comment.* 1. (b) *Comin.* 8. *cap.* 9. (c) *Guicciardin.* 5. *hist.* (d) *Bauder. de Vita Card. d' Amboise.*

Religionariis Henricum Regem à transitu ad Catholicismum dehortantibus accessit quoque Arnoldus Ferrerius, tametsi Catholicus; non Religionis studio, sed quod pace composita vilem se cæteris, & transfugæ instar contemptum fore crederet. (*a*)

Inter Belgicorum motuum initia cum in Aula Hispanica de rationibus reducendorum Belgarum præsente Rege disceptaretur, Proceres in duas sententias distrahebantur. Rodericus Gomezius, Gomezius Figueroa Feriæ Dux; & Bernardus Freneda pacem, Ferdinandus Toletanus Albæ Dux, Cardinalis Granvellanus, & Didacus Cardinalis Spinosa bellum suadebant. Extant apud Hieronymum Conestagium, (*b*) Nicolaum Burgundium (*c*), Famianum Stradam (*d*) & Guidonem Bentivolium (*e*) contrariæ suadentium dissuadentiumque Orationes, omnes profecto egregiæ, sed tantâ rerum verborumque diversitate, ut non ita habitas, sed ex commentantium ingenio effictas credere verius sit. In eo tamen omnes conveniunt, id

(a) *Henric. Davila: 7. hist.* (b) *Lib. 2. de bell. Belg.* (c) *Lib. 3. hist. Belg.* (d) *Dec. 1. lib. 6. hist. Belg.* (e) *Lib. 3. de bell. Belg.*

id quemque consilium probasse, quo potentiam servaret, excluso æmulo. Nimirum Roderici Gomezii consilium erat hominis in aula dominantis, cui pax & quies inprimis curæ; nec quicquam antiquius, quam ne turbatis bello rebus penes alios negotiorum arbitria, atque adeo potentia essent. Similia censebant Feriæ Dux, & Bernardus Freneda, aulæ artes edocti, & miti ingenio Viri. At vero Dux Albanus arma & ultionem spirabat, vehementi Vir ingenio, & qui sibi summum armorum imperium committendum certus erat. Illi Granvellanus adstipulabatur, propria ira infensus Belgis, & Spinosa tristi ingenio & immiti Inquisitoris officiis ignoscendi nescius. Eundem animorum habitum intueri licet in consultatione de duodecennalibus Belgarum cum Hispanis induciis, quas Mauritius Nassovius improbabat, contra quam Joannes Barneveltus; ille bello, hic toga clarissimus. (*a*) Etiam in aula Madritensi non eadem omnium de isto negotio sententia erat. prævaluit tamen Lermæ Ducis, qui tunc omnia poterat, ad pacem inclinatio. Nam qui pacis artibus integram potentiam tuebatur, eandem bello cum socio

(a) *Card. Bentivol. lib.* 1. *de induc. Belg.*

ſocio partiri nolebat. (a) Non tamen Virtutum adeo ſterilia illa tempora fuerunt, ut non & bonum exemplum prodiderit. Is fuit Jo. Mancicidorus, à ſecretis bellicis præcipuum induciarum confectarum inſtrumentum: quanquam qui durante bello XII M. Philippicos annuū ſalarium habebat, facta pace, cujus ſe ipſe autorem faciebat, vix ter mille habiturus. (b) Cum noſtra memoria in Gallia deliberaretur, Rex bello, quod; inter Sabaudiæ & Mantuæ Duces incaleſcebat, interveniret nec ne? pax togatis, bellum principibus placebat. Hi decus gentis, fidem, dignitatem, & pueri Regis exordia, famamque majoribus præluſuram; illi probatam jam Regis pietatem, labores, impenſas allegabant. (c) In eadem Aula, cum de nuptiis ducis Aurelianenſis cum Mompenſeria ageretur, quas Cardinalis Richelius ingenti ſtudio promovebat; Condæus cum uxore, Sueſſionenſis, Longavillæ & Vandomi Duces vehementer contra nitebantur, varia prætexentes. Verum Condæus eripi ſibi ſpem ſucceſſionis dolebat: Sueſſionenſis præterea ejuſdem Virginis nu-

(a) *Bentivol. lib. 2. de induc.*
(b) *Bentivol. de Belgio Hiſpan. lib. 1 c. 4.*
(c) *Ant. Poſſevin. de bell. Monferr.*

ptias affectans; Longovillanus invidia erga Guisios, Mompenseriis sanguine junctos; & Vandomus odio in Cardinalem. (a) Ante hos viginti annos Albertus VValleustenius Rembaldum Collalti Comitem Cæsarei exercitus, qui in Italiam destinabatur, ducem suo suffragio Cæsari commendavit; non quod præ cæteris tanto muneri parem crederet; sed officio gratiam redditurus; quippe Collalti studio & opera Mechlemburgensem Ducatum habebat: & ne ipse Germania abstractus, potentia, quam ibi quæsiverat immensam, exueretur. (b) Infinita alia sunt, quæ dictis addi possent. Sed hæc notando cavendoque infami scopulo, sufficiunt.

Discordantes in concilium vocat, ac promere sententiam, & adjicere rationes jubet.] Vide quæ dicemus ad XV. Annal. (c)

CAP. II.

H*Audquaquam novercalibus odiis usura*] Novercalium odiorum exempla alii congesserunt. Quibus unum addendum, illustre, oblivioni ereptum Pho-

(a) *Galeat. Guald.* 1. *hist.* (b) *Victor. Sir. tom.* 2. *hist. lib.* 3. (c) *c.* 61.

Photii (*a*) diligentia ex historia Memnonis. Zeilas, Nicomedis Bithyniæ Regis filius crescebat in certam spem paterni regni adipiscendi; donec illam Etazeta noverca dubiam fecit; triste privignis nomen, & raro successurum in maternos affectus. Oderat illa Zeilam, etiam cum nondum mater esset, neque haberet, quem in vicem illius amaret. Aucta vero liberis, non contenta simplici odio, conabatur etiam ex patre Zeilæ vitricum facere: tantumque effecit novercali ingenio, ut filius aulâ ejiceretur, in qua illi naturæ lege regnandum erat. Zeilas ad Armeniorum Regem profugit, ut longissime à novercâ abesset. Virum illa interim nimis uxorium, & amore ægrum eo blanditiis impulit, ut Zeilâ præterito natos ex ipsa liberos scriberet hæredes testamento dictante novercâ concepto: quo regnum ad injustos dominos transferebatur, eosque ipsos adhuc inter cunas vagientes, neque aptos solio: cum interim Zeilas viveret, pro cujus jure natura pugnabat.

Femina experta fœcunditatis] Est hoc inter illa, quæ solis sibi licere putant Principes, instar privilegii; repudiare uxores, formâ, pudicitiâ, obsequio probatas qui-

 dem,

(a) *Bibliothec. cap.* 23.

dem, ſed ſteriles. quâ de re vide quæ notabo ad XIV. (*).

Claritudinem Cæſarum aliam in domum ferret] Iſta ſatis bene explicat Arnoldus Clapmarius quarto de arcanis (†).

CAP. III.

VT *nondum uxor, potentiâ uxoria, jam uteretur*] Eadem apud Henricum Secundum Galliæ Regem auctoritas ac potentia erat Dianæ Valentinæ (*a*).

Nihil arduum videbatur in animo Principis, cui non judicium, non odium erat, niſi indita & juſſa] Veriſſima Macchiavelli ſententia eſt (*b*), quamvis in dubium vocata à pluribus, quibus nullus rerum ac negociorum uſus, Principem hebetem, & ingenio ac judicio deſtitutũ, utut alienâ prudentiâ inſtruatur, vix unquam feliciter regnare. Vt ſapientiſſime Cominæus (*c*) judicaverit, bello, peſte, cæteriſque indignantis Dei flagellis pejorem eſſe imperitum regnandi Principem. Quod & ſacrarum literarum auctoritate comprobatur; quæ infelicem populum pronunciant (*d*), cujus rex puer eſt.

(*) *cap.* 60. (†) *cap.* 8. & 9.
(a) *de qua vide Henr. Davil.* 1. *hiſt.* (b) *Princ. c.* 23. (c) 2. *Comment.* 6. (d) *Eccleſiaſt.* 10.

eſt. Ipſe quidem nulli actioni, nulli negocio idoneus, iners, ſomni plenus, imperitus, ἀπραγματικὸς (a), civium exterorumque commercio ſubduci, neceſſario, atque alienis oculis & auribus videre audireque cogitur. Sine viribus, & quod pejus eſt, ſine famâ & auctoritate omnium contemptui exponitur; neque jubendi, neque vetandi potens (b): inconſtans in conſiliis; facilis in promiſſis; & eadem in retractandis levitate: cui prætereà uſitatum eſt, epulas in plures horas protrahere; ſcurris, hiſtrionibus, aurigis, aliiſque amicitiarum dehoneſtamentis gaudere (c); mediaſtinis familiarem eſſe; inter adſtantes miniſtros, quid vicini moliantur, quæ literæ hodie allatæ. quid in Senatu actum, narrare; favorem erga hos, erga alios indignationem, publicè proferre: quod diei reliquum erit, ſcriniis aperiendis, veſti, gemmis inſpiciendis conſumere: in itinere ad omnes municipiorum, villarumque amœnitates reſiſtere: uxoribus obnoxium; ut inſidiis incautum, ita iræ properum eſſe: uni maxime credere; eique, quod alii de eo dixerint, ſtatim referre: proſperis rebus vagare lætitiâ; frangi adverſis: miniſtros morbo ægros,

 nullâ

(a) *Cic.* 1. *Ep ad Att.* 13. (b) *Tac.* 3. *hiſt.* 70.
(c) *Tac.* 2. *hiſt.* 87.

nullâ incommoditatis habitâ ratione; levissimas ob causas sæpius vocare: neque negocia distinguere, neque præmia; sed frivolis præcipuos fatigare: canes, equos, ad summum pecuniam curare; reipubl. bona malaque perinde habere. His moribus Principem an auctoritatem suos inter, aut alienos tueri posse putamus? Quod si, in ministros omnem reipubl. curam transmittit; primo maxima in eo famæ jactura est, quod ineptum regno dominum à servis regi scitur. Deinde neque eligit, quos debet: nec fidem, nec prudentiam singulorum discernit: neque obliquas, & à publico bono ad privatam utilitatem sæpe deerrantes sententias deprehendit: nec ex diffidentibus opinionibus, quæ melior sit, intelligit; incertus animi, & alieno semper ac sæpe infido judicio obnoxius. Nam plerunque consiliariorum quisque sibi tendit (*a*): & inter discordes nihil ignavo Principi auctoritatis (*b*): sed modo huc, modo illuc, ut quemque suadentium audiit, fluctuat (*c*). Ignarus militiæ, improvidus consilii, quis ordo agminis, quæ cura explorandi, quantus urgendo, trahendove bello modus, alios rogitat; ad omnes nuncios

(a) *Vide supra ad init. hujus libri.* (b) *Tac. 2. hist. 92.* (c) *Tac. 12. annal. 1.*

cios vultu quoque & inceſſu trepidus. recentiſſimum quodque vulnus pavet, ſummi diſcriminis incurioſus (*a*) Præterea negociis quæ à pluribus geruntur, lentor quidam, & tarditas ineſt, etiam tepor ac negligentia: dum pluribus commiſſa non æmulationem modo & diſſidia collegarum ſed & deſidiam atque incuriam adducunt. Nam qui ſoli negociis pares futuri erant, aliis, inferiori præſertim gradu additi, tanquam gloriæ expertes, etiam dedecoris ſecuri, alterius operam otioſi reſpectant. Quod appoſito exemplo in diſſertationibus ad Livium (*b*) oſtendit Macchiavellus. Porro ſi in unum authoritatem ac arbitrium rerum omnium transfert Princeps, Sejano aliquo ſimilem, aut Plautiano; pejus omni tyrannide iſtius regnum erit; & exitioſius hunc offendiſſe, quam ipſum Principem. Sin in virum bonum ac prudentem inciderit Principis electio: tamen unum omnibus anteferri, invidiam, & æmulationem cæterorum, factiones quoque & turbas excitabit. Sed & ipſorum miniſtrorum iniquiſſima ſub tali domino condicio eſt. Nam cum duo Principum genera ſint; callidum unum, cautumque, ſed ſuſpicionibus promptum; & offendi facile:

(a) *Tac.* 3. *hiſt.* 56. (b) 3. *diſcurſ.* 15.

facile: illorum alterum, qui obtuſo ſunt & ignavo ingenio; quanquam utriſque inſervientium periculoſus ſit ac lubricus ſtatus; tolerabilior tamen Cominæi judicio (*a*) illorum conditio eſt, qui prudenti, tametſi irritabili, quam qui ſtolido ſegnique operam ſuam addixerunt. Quippe apud illum merito ac conſiliis locus eſt: huic non amor, non odium, niſi indita & juſſa (*b*). Nulla virtus, nullum meritum in tuto quantumvis egregium miniſtrum locabunt. Judicii imbecillitate, levitate inſitâ, æmulorum artibus aut nunquam cognoſcet, aut obliviſcetur merita, interdum & puniet ignavus Princeps. Ipſa etiam fides apud hunc talem interdum exitioſa eſt: poſtquam illi rimarum pleno, de vitâ moribuſque illorum, qui gratiâ apud ipſum florent nemo quicquam ſine certâ pernicie, detegere audet. Præterea illud quoque periculo plenum eſt, quod conſilia acria, vehementia, cumque offenſione aliorum conjuncta, tanquam non ab ipſo Principe profecta, (quippe quem omnis generoſi incepti incapacem omnes noverunt) uni vel alteri ex præcipuis miniſtris, quorum celebrata apud omnes ſapientia eſt, imputantur. Inde qui vel proceres, vel

(a) 1. *Comment.* 16. (b) *Tac. hîc.*

vel populum, vel vicinos Principes necessariâ libertate offenderunt, alienis odiis expositi, nullum in Principe subsidium habent. Cujus rei lugubre documentum nuper in Angliâ fuerunt Staffordiæ Comes, Prorex Hyberniæ, & Thomas Archiepiscopus Cantuariensis, odiis populi victima facti. Huic illud quoque consequens est, ut periculosæ stationis reputatione consiliarii non recto cursu ad bonum publicum & honorem Principis ferantur, sed obliquâ velificatione ita salutem principis & reip. curent, ne suæ obliviscantur.

CAP. IV.

INgruentium dominationum provisor &c.] Orientem Solem adorare, hoc est, surgentem à modicis initiis potentiam tempestive prævidere, colere, ejusque incrementa aperto studio procurare uti plurimis ad summam potentiam, ita quibusdam ad perniciem via fuit: comprobatumque experientiâ, maximam illorum, qui in Aulis opes atque dignitates sectantur, partem alienâ fortunâ hederæ instar, subsistere & cadere. Fuit aliquando apud Augustum, florente Cæsarum integraque domo, intuta Tiberii amicitia *(a)*. Contra Georgio Amboi-

(a) *Tac.*

Amboiſio ſummæ potentiæ cauſa fuit, Ludovicum Aurelianenſem, tanquam qui proximus regiæ ſucceſſioni immineret, Carolo Galliæ Regi ſuſpectum, cum periculo licet, coluiſſe. (*)

CAP. V.

P*Ercunctatus Cæſarem an juſſis populi, an auctoritati Senatus cederet* &c.] Novum adulationis genus, quod vim Principibus inferre videretur, dum maxime cupiditati illorum obſequitur. Libertatem profitentur projectiſſimæ ac fœdiſſimæ aſſentationis repertores. Haud defuere, inquit Tacitus, qui certatim, ſi cunctaretur Cæſar, vi acturos teſtificantes, erumperent curia. Etiam boni Principes actionum ſuarum dedecora auctoritate civium ſuorum, ac Senatus interdum velare conſueverunt. Ludovicus XII. Galliæ Rex Claudiam filiam Philippo Maximiliani I. Imperatoris filio promiſſam Franciſco Engoliſmenſi, qui poſtea Franciſcus Rex fuit, collocavit; & quo excuſatius fidem falleret, Parlamenta omnia, & præcipuas regni urbes induxit, ut volentem cogerent (*a*).

Simile

(*) *Mich. Bauder. in Vita Cardin. d'Amboiſe adde ſupra dicta ad* II. *Annal.* 9.
(a) *Guicciardin.* 7. *hiſt.*

Simile eſt, quod, quibus invalida adhuc, neque adulta potentiæ fundamenta ſunt; in civilibus maxime diſſidiis, armis ſuis alienum plerunque nomen ac favorem prætexunt; cui improſperam imputare fortunam poſſint, ſecundam ſibi aſſerturi. Cinnæ bellum in patriam meditanti cum auctoritate & gratia opus eſſet, C. Marium cum filio de exilio revocavit. *(a)* Legiones Romanæ à Galba ad Vitellium deſciſcentes, ne reverentiam imperii exuere viderentur, in S. P. Q. obliterata jam nomina ſacramenta advocabant. *(b)* Claudius Civilis rebellionem adverſus Romanos inceptans, dum Veſpaſianus & Vitellius de imperio inter ſe decertarent, differebat; ambiguam belli fortunam Veſpaſiano, cujus partes ſimulabat, imputaturum; Victoriæ rationem non reddi. *(c)* Cui arti inſiſtens idem Civilis, juſti jam exercitus ductor, tamen conſilii ambiguus, & vim Romanam reputans, milites ſuos in verba Veſpaſiani adegit. *(d)* Primus Antonius, è ducibus Flavianis Galbæ imagines, diſcordia temporum ſublatas, in omnibus municipiis recoli juſſit: deco-

(a) *Vellei. Paterc.* 2. *hiſt.* 20. (b) *Tac.* 1. *hiſt.* 55. (c) *Tac.* 4. *hiſt.* 14. (d) *Tac.* 4. *hiſt.* 21.

decorum pro causâ ratus, si placere Galbæ principatus, & partes revirescere crederentur. (*a*) Civitates Italiæ libertatem affectantes, & oblitæ Cæsarum, revera liberi, in speciem subditi, Imperii tamen reverentiam, quatenus decori ac tutelæ servit, profitebantur. (*b*) Condæus Hugonotarum in Gallia caput, Regem, & Reginam-matrem à Guisiis captivos teneri, seque liberatorem asserebat. (*c*) Eodem consilio Henricus Navarrus vindictam occisi Henrici III. Regis bello in Ligistas prætexuit. (*d*) Prima Belgarum ab Hispanis secessio fidei erga Regem prætento nitebatur. *Geusii* per contemptum appellati, numum initio è cera vel è ligno exsculptum, postea auro argentoque cusum instar bullæ è collo suspendebant: in cujus altera parte Philippi Regis cælata erat effigies, cum verbis; *Fideles Regi:* in altera mantica visebatur, duarum complexu manuum intercepta, adscripto symbolo; *Usque ad manticam.* (e)

Gra-

(a) *Tac.* 3. *hist.* 7. (b) *Anton. Possevin.* 2. *hist. Mantuan.* (c) *Io. Baptist. Hadrian.* 17. *hist.* (d) *Phil. Pless. Mornæ. Comment. part.* 2. *Henr. Davil.* 10. *hist.* (e) *Fam. Strada* 5. *hist. Belg. Hadrian.* 19. *histor.* fideles au Roy jusques à la besace.

Graviſſimos Principis labores, queis Orbem terræ capeſſat, egere adminiculis, ut domeſticâ curâ vacuus, in commune conſulat] Egregia ſententia in peſſimâ causa. Non ſufficit unus homo tot millium commodis curandis, niſi arte quadam & dexteritate tempora & negocia diſponat, atque diſpenſet. Ejus artis atque induſtriæ partes quaſdam & ſpecimina ediſſerere hic mihi propoſitum eſt; principibus, eorumque amicis, mihi, & ſi quibus imitari placuerit, profutura. Magna mortalium, & injuſta audacia eſt naturam accuſantium, quæ tantum brutis animalibus indulſerit, ut quina aut dena ſecula edurent; homini in tam multa ac magna genito tanto citeriorem terminum conſtituerit. Unde iſta querela:

Redditur arboribus florens revirentibus ætas:
Ergo non homini, quod fuit ante, manet?
Vivaceſque magis cervos, decet eſſe paventes,
Si quorum torvâ cornua fronte rigent?
Vivere cornices multos dicuntur in annos:
Cur nos anguſtâ condicione ſumus? (a)

Veriſſima naturæ juſtificatio in eo ſita eſt, quod ſatis longa vita male collocatur: quod non exiguum tempus nobis largitur, ſed

(a) *Pedo in obitu Mecæn.*

ſed multum perdimus: quod quædam tempora eripiuntur nobis, quædam ſubducuntur, quædam effluunt! quod magna pars Vitæ elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus. (a) Quod argumentum univerſum Philoſophicâ acrimoniâ perſequitur L. Annæus Seneca, in eo libro, quem de brevitate vitæ inſcripſit. Fuerunt tamen Reges atque Principes Viri, qui quanquam omne tempus in procurandâ republ. collocarent, illius tamen quoddam quaſi parſimoniæ genus invenerunt: quâ non negociis modo, ſed & ſtudiis literarum, aliiſque curarum diverticulis ſuffecerunt. Illam artem præceptis, atque exemplis tradere, diſcereque utiliſſimus labor eſt.

Prima ac præcipua cautio eſt, fugienti tempori manum injicere, neque ullum illius momentum ſine uſu aliquo fructuque tranſmittere: cogitare, ſummam fortunam non in luxu (b) conſiſtere. onus eſſe regnum, & curam. Principem patrem & paſtorem populorum à Deo conſtitutum. Philippus II. Hiſpaniarum Rex regium munus textoriæ arti ſcitâ comparatione aſſimilabat. Ut n. illa multi laboris eſt,

(a) *Senec. Ep.* 1. (b) *Tacit.*

eſt, integrumque requirit hominem, manuum, brachiorum, pedum officia, oculos præterea tot filis, quot tramam & ſtamen faciunt, intentos; ita Regum dextras, oculos, curas, animum omnibus regni partibus invigilare, turbata componere, abrupta religare. *(a)* Pius V Pontifex Medicis valitudinis rationem habendam monentibus, alienæ, non ſuæ utilitati Principem conſulere debere, & conſcientiæ magis quam ſanitati vacandum eſſe, reſpondit. *(b)* Cui ſimile eſt, quod Veſpaſianus Cæſar ajebat, Imperatorem ſtantem mori oportere. *(c)* Carolo V Cæſari familiare erat, itineri ac negocio pariter intendere; ne rebus agendis ullum tempus elaberetur. *(d)* Chriſtophorus VVurtembergiæ Dux, princeps ſapientiſſimus, etiam dum venationi indulgeret, & ad retia ſedens perpetuo à ſecretis hominem ſecum habebat; cujus miniſterio ad ſupplices libellos reſcribebat: C. Plinii fortaſſis exemplo: qui ſeipſum non cum pannario tantum, & laguncula, ſed cum ſtylo & pugillaribus venari ſolitum teſtatur: *(e)* ut ſi manus vacuas, plenas tamen ceras reportaret. Ipſe Plinius

(a) *Boter. apopht. par.* 1. *lib.* 1. (b) *Boter. apopht. par.* 2. *lib.* 1. (c) *Suet. Veſpaſ.* (d) *Poſſevin.* 7. *hiſt. Mantuan.* (e) *Plin. lib.* 1. *Epiſt.*

Plinius ab avunculo hauſerat, quem mirum eſt tot volumina hominem occupatiſſimum abſolviſſe. Omne tempus vitæ diſtentum impeditumque, qua officiis maximis qua amicitia principum egerat. Sed erat acre ingenium, incredibile ſtudium, ſumma vigilantia. Lucubrare à Vulcanalibus incipiebat, ſtudendi cauſa; æſtate ſtatim à nocte multa; hyeme vero ab horâ ſeptimâ, vel cum tardiſſime, octavâ, ſæpe ſexta. Erat ſomni parciſſimi; nonnunquam etiam inter ipſa ſtudia inſtantis & deſerentis. Ante lucem ibat ad Veſpaſianum Imperatorem. nam ille quoque noctibus utebatur: inde ad delegatum ſibi officium: reverſus domum, quod reliquum erat temporis, ſtudiis reddebat. Longum eſſet, qua induſtria, quaque parſimonia inter medios labores, urbiſque fremitum, tempus ſtudiis repoſuerit, referre: ſed & ſupervacuum huc tranſſcribere quæ Plinius ex ſorore nepos tertio epiſtolarum de avunculo narrat. Henrici VI. Cæſaris ſummum Reip. ſtudium Nicetas Choniates, Græcus homo commendat; cui totos dies ita impenderit, vix ut ſpatium curandi corporis ſibi relinqueret; raroque prandentem quiſquam videret. Quas tam ſobrias ejus curas cum interpolare amici conarentur;

narentur; importunos invitatores plane regia sententia refutavit; homini privato nullum esse intempestivum convivium, dictitans: regibus, si suo satisfacere nomini velint, satis esse debere, si eos resp. à se ad cœnam dimittat. *(a)* De Ferdinando I. Imperatore ista refert Augerius Busbequius. *(b)* Surgit è lecto, etiam asperrimæ hyemis mensibus, horâ quinta: hinc precibus Deum veneratus, peractoque sacrô, abdit se in consilium: ubi de rebus, quæ ad publicam utilitatem spectant, consultandis usque ad horam prandii magna attentione vacat. Idem fit horis pomeridianis donec cœnæ tempus sit. cœnæ, dico, non suæ, sed consiliariorum. nam ipse perpetuo cœnâ abstinet; neque amplius quam semel die cibum sumit, & quidem parce: nec potui liberalius indulget, geminatâ vini potione prandium clausisse contentus. fugit otium. tempus ei nullum iners. quod si quod negotiis superest, id bonorum ac doctorum Virorum collocutionibus traducit: qui maxime assistunt prandenti, deque variis rebus sermonem conferunt. Cum hac vita tam frugi, tam severa non dubito quin è populo multi suam commutatam nollent. Quotus enim quisque non

(a) *Plin. lib. 3 Epist.* (b) *Epist. Turc. 4.*

non aliquam vitæ particulam genio suo seponat? quis se cunctis oblectationibus privari æquo animo sustineat? quem denique non tædeat in perpetuis curis & negociis consenescere? quod quidem servitutis cuidam generi, quam dominationi propius videtur. Sed aliter hic Princeps judicat, neque id in familiarib. colloquiis dissimulat; non se sua causâ tanto muneri à Deo præpositum: non sibi, ut in voluptatibus & deliciis volutetur, Imperii gubernacula tradita. alia condicione privati juris hereditates cerni, aliâ regnis & imperiis succedi. prohiberi neminem, quin patrimonii sui commoditatibus utatur, fruatur. at suæ fidei tot gentes à Deo commendatas, ut earum curam gerat; ad se redeat labor, ad eas ex sua dispensatione fructus; suo sudore eis quietem & otium conficiat. Una est venatio, cui interdum operæ aliquid tribuitur, non tam delectationis causa, quam valetudinis. Nam cum dierum complurium continenti sessione marcere sibi corpus & animum sentit, diem eligit, quo se liberioris aëris haustu, & campestri exercitatione reficiat. Ergo summo mane, æstate quidem primo diluculo, hyeme aliquot horis ante exortum solis, quocunque cœli habitu venatum egreditur;

quandoque pomeridianum tantum tempus ei rei datur. Ac memini, cum adstarem prandenti, audire dicentem: meo sum functus officio: negocia omnia, totum chartophylacium exhausi: nihil superest in Cancellaria, quod me detineat, quod reliquum est diei, impendam curæ corporis. Sic multâ jam nocte domum revertit, apri, vel cervi, vel etiam ursi cæde lætus: ac fessa vario labore membra nullo assumpto cibo, neque potu, somno sternit. Hactenus Busbequius. & pertinent huc, quæ de Ferdinando II. ad quartum annal (*a*) retuli.

Huic primo præcepto proximum est, pondera rerum intelligere, partiri tempora, necessaria magis primo loco agere, omissis, dilatisve frivolis, supervacuis aut minus necessariis. Pæto Thraseæ non sine ratione objectum fuit in senatu, *cur tam levia consectaretur?* (b) Nemo quisquam Scipione elegantius intervalla negociorum otio disjunxit: semperque aut belli aut pacis servIit artibus. Semper inter arma ac studia versatus, aut corpus periculis, aut animum disciplinis exercuit, (*c*)

(a) *Forstner. ad.* 4. *Annal. verb:* nihil intermissâ rerum curâ *&c.* (b) *Tacit.* 13 *annal.* 19. (c) *Vellei. Paterc.* 1. *hist.* 13.

Cn. Agricola quoque tempora curarum, remissionumque divisa habebat. (*a*) Julianus Cæsar noctes ad officia dividebat tripartita; quietis, & publicæ rei, & Musarum: & post ardua ac seria terminata ad procudendum ingenium vertebatur. (*b*) Carolus Borromæus Cardinalis studiis literarum intentus, plures quotidie horas libris & lectioni dare solebat. Idem tamen eatenus amandas literas dictitabat, quatenus impositum munus permitteret: neque plus temporis impertiendum studiis, quam quod negociis superesset. (*c*) Prudentiùs profecto, quam alter Cardinalis, Bessarion, qui, dum in Conclavi, ut vocant, studiorum dulcedine abreptus, non admittit, qui illius, uti mos est, adorandi causa ad fores præstolabantur, Cardinalium morositatem hominis aversantium studia in alium transtulit. (*d*)

Tertia temporis ac negociorum disponendorum ratio est, præcipua, majorisque momenti sibi sumere, leviora aliis delegare, & ut Philo Judæus (*e*) distinguit, rem in quâ publicum periculum versatur,

(a) *Tacit. Agric.* (b) *Ammian. Marcellin 16. hist.* (c) *Boter. apopht. par. 2. lib. 2.* (d) *Boter. apopht. par. 3. lib. 1.* (e) *Lib. de Ioseph.*

ſatur, ipſum agere miniſteria, quæ labore tantum conſtant, aliis cedere.

Qui cuncta minima maxima ſoli complectuntur, vel neutris ſufficiunt, vel, levioribus intenti, majora negligunt. Ut non injuriâ caſtigarit Senatum Romanum Tiberius, quod cuncta curarum ad Principem rejicerent. *(a)* Et alio tempore: quantum eſt, inquit, de quo Ædiles admonent! quam, ſi cætera reſpicias, in levi habendum! at hercule, nemo refert, quod Italia externæ opis indiget: quod vita populi Romani per incerta maris & tempeſtatum quotidie volvitur &c. hanc curam ſuſtinet Princeps, hæc omiſſa funditus remp. trahet. *(b)* Pericles Athenienſis neque ſemper prodibat in concionem, neque de omni argumento dicebat: ſed inſtar Salaminiæ triremis gravior ib. ſe ſervabat negociis, cæteris per amicos peractis. *(c)*

Huic conſequens eſt, IV. noſcere miniſtrorum ingenia, & cui quiſque muneri, functioni, curationi aptiſſimus eſt, id ei munus, functionem, curationem injungere: *(d)* dividere officia, partiri labores,

 operaſ-

(a) *Tacit. 3 annal.* 35. (b) *Tac. 3. annal.* 54.
(c) *Plutarch. Pericl.* (d) *Vide Forſtner. ad* 1. *annal. verb:* Magna apud Tiberium auctoritate

operasque inter collegas: nec uni omnia negocia, nec omnes uni negocio applicare: quorum alterum injustissimum, alterum stolidissimum est. Neque enim unus omnibus sufficit: & rursus, dum omnes uni negocio vacant, cætera sine cura habentur. Quanta dementia est, viros naturâ, ingenio, institutione ad remp. ad pacis ac belli solertiam factos, ad triobolares causas cognoscendas, aut numarias rationes discutiendas, velut ad triremes condemnare! Vacent ignobilibus illis minutiis angustæ mentes, & quibus ea sola scientia fundus ac patrimonium est.

Tu regere imperio populos, Romane, memento.

Sed in hoc perniciose plerumque Principes errant. Nam uti quisque ignavus est, aut uxorius, temulentus, saginâ gravis, sui, aliorumque ignarus, & impar curis gravioribus: ita discernendi Ministrorum, negociorumque meritis, ineptus erit. Si avarus est, numos, calculum, & rationales cunctis aliis præferet. Vidi de minuendis Aulæ sumtibus, de candelarum & panis dimenso disceptari, quo maxime tempore summa reip. periclitabatur. Haut aliter, quam si quis in navi cum alio de teruncio aleâ contenderet, nullâ curâ, an

navis

navis in ſcopulos & Syrtes rapiatur : aut qui ſignis,ſtatuis, bibliothecâ inſtruere atque ornare vellet, ędes ruinam minitantes. Eam propter rationem inter alias, principem à judiciis & cauſarum cognitionibus plerique arcent; exemplo Jethronis : qui Moſen Iſraëlitarum Principem, generum ſuum difficilimâ cauſarum omnium judicatione obrutum, ea ratione ſublevandum putavit, ut de rebus tantum arduis, & ab ordinariâ Magiſtratuum juriſdictione remotis cognoſceret, cætera magiſtratibus & judicibus permitteret. (*a*)

Eſt præterea, V, maximum temporis lucrum, reſecare difficultates, non nutrire; finire negocia, non producere; abſolvere non differre; poſtremo minime admittere, ut recurrant, quæ ſemel transacta ſeponi poſſunt.

Prodeſt *ſexto*, ſuis quæque temporibus negocia aſſignare; & memoriæ ſubſidia adſciſcere, calamum, ſtylum, tabellas, pugillares; in quibus vel veſpere, antequam cubitum eas, vel poſtquam mane è ſtrato ſurrexeris, illo die peragenda annotes. His, quæcunque interdiu occurrent, negocia, adjungenda. quâ induſtriâ nocte redeunte, uno obtutu, quæque transegeris,

(*a*) *Exod.* 18.

egeris, quæque transigenda restabunt, perspicies. Jo. Vincentius Pinellus, ne fructus, quos ex amicorum congressu perceperat, ulla sibi obreperet oblivio, cum illi abiissent, secedebat in cubiculum interius, ubi quæ præclara in colloquendo animadverterat, in commentarium sua manu referebat: imo, & dum amici adessent, nunquam non illi ad manus erat calamaria theca, ut summa rerum, quæ placuissent, capita annotaret. *(a)* Memini de quodam Jurisconsulto Germano recitari, nocte quoque, nullo luminis usu, ex nigro marmore tabulam ad lectum appensam habuisse, cui creta, quæcunque noctis amica silentia suggerebant, inscribebat. Idem, quem modo dixi, Pinellus hanc sibi ad amicorum literas respondendi methodum præscripserat, ut iis perlectis, præcipua capita compendiaria viâ in codicem referret. hunc sibi proponebat responsurus, sepositis epistolis: in quarum mox tergo adnotabat nomen ejus, qui scripsisset, annum, diem, locum & negociorum indiculum. Harum fasciculos singulis hebdomadis in cistulas transferebat. Consueverat præterea tabulas sibi quasdam conficere,

(a) *Paul. Gualdus in vita Pinelli.*

cere, in quas referret ea omnia, quæ ipse ab amicis, quæ ipsi ab eo vicissim postularent: descriptisque summis negociorum, potentiumque nominibus uno intuitu discernebat, quid actum esset, quid agendum superesset. Re confecta nomina inducebat, postquam rescripta cum codice contulisset. (*a*)

Postremo (VII) cum plerumque plurimum temporis nobis aliena importunitate eripiatur: certæ cautiones adhibendæ sunt, quibus eam devitemus. Hominem enim præclara cogitantem nihil æque torquet, quàm temporis jactura: quam tum maxime percipit, cum otiosis ineptisve aures commodare cogitur. Credo, inter alias moris, ut quamvis præsens Princeps scripto adeatur, causas etiam hanc esse, ne promiscuis admissionibus, intentæ publico bono principis curæ ad leviora distrahantur. Is, quem paulo ante memoravi, Jo. Vincentius Pinellus, quos invitus vel occupatior admittebat, in vestibulo domus excipiebat, stare vel deambulare solitus. (*b*) Alphonsus XII. Henricus III. Ferdinandus & Isabella Hispaniæ Reges è septimanâ tres dies deligebant, quibus

 publico

(a) *Guald. ibid.* (b) *Guald.*

publico loco audiebant queſtus & negocia privatorum. (*a*) Antonius Perenottus Cardinalis, dum pro Rege Neapoli eſſet matutinarum horarum ſtatas quaſdam & certas, quibus ſe conveniri volebat, conſtituebat. Jubebat etiam ut adituri veſpere præcedenti nomina profiterentur: è quorum agmine ipſe XII. aut XV. ſeligebat; quos admitteret. Curabat præterea, (quod & Alberto Valenſtenio familiare fuit.) ne inanibus exordiis tempus ſibi & reliquis profuturum dilaberetur. (*b*)

CAP. VI.

AT *enim nova nobis in fratrum filias conjugia. ſed aliis gentibus ſolennia* &c. *morem accommodari prout conducat*] Plerunque illis quibus honeſta principum inhoneſtaque æque laudare mos eſt, juſta ſunt, quæcunque Principibus allubeſcunt. Nulla tam mala potentium cauſa eſt, quæ patronum non inveniat. Pius IV. Pontifex Carolo Carafæ Cardinali, majeſtatis damnato fracto gutture ſpiritum interclufit. Sub Pio V. res judicata in novum retracta examen, & ab iiſdem judicibus condemnatus ante Cardinalis fuerat, poſt mortem abſolutus eſt. Scil. utrumque Pontifices juſſe-

(a) *Savedra Symb.* 35. (b) *Guald.*

jusserant. (*) Mortuo Francisco Mantuæ Duce sine liberis masculis, erant, qui Ferdinando fratri defuncti viduam Margaritham Sabaudiam ducere suadebant, iisdem prope argumentis, quibus Vitellius Agrippinæ nuptias. Neque n. duorum fratrum aut sororum novum apud Christianos Principes matrimonium, haberi apud Anglos & Hispanos exempla: & Sigismundo Poloniæ Regi duas Austriacas sorores obtigisse. Et neque exemplo opus esse Regibus, quoties salus populorum, & bona pacis requirant. Prima similium connubiorum nova fuisse, non exemplo, ratione tantum approbata. Denique ridiculum esse, asserere apud defunctos sensum verecundiæ, & similium ineptiarum esse. Cum morte desiisse mortalia: & si quo præsentium affectu frater defunctus moveatur, gratum matrimonium habiturum, quod noverit salutem populis laturum. (‡)

CAP. VII.

CUncta feminæ obediebant] Significanter! uti libro præcedenti: (a) omnia liberto obediebant: & apud Lucanum, (b)

Omnia Cæsar erat ——

(*) *Io. Bapt. Hadrian.* 19. *hist.* (‡) *Ant. Possevin. hist. bell. Monfer.* (a) *Cap.* 35. (b) *Lib.*

Nihil impudicum, nisi dominationi expediret] Vide quæ infra ad hunc librum (‡) notabimus.

Cupido auri immensa obtentum habebat, quasi subsidium regno pararetur] hic locus referetur & explicabitur XIII. (*)

CAP. VIII.

A*Grippina, ne malis tantum facinoribus notesceret, veniam exilii pro Annæo Seneca, simul præturam impetrat, lætum in publicum rata*] Vide notas ad XIII. (*a*)

CAP. IX.

M*Emmium Pollionem ingentibus promissis inducunt, sententiam exprimere*, &c.] Aula Vitellios & Polliones habet, quibus instrumentis assensum attrahunt atque conciliant illorum, quorum voluntate & auctoritate opus est. Affine huic, quod, qui repulsam timent, internunciis uti solent, non tanquam suis & mandato instructis, sed veluti proprio instinctu rem gerentibus. Quomodo Barnabas Vicecomes nuptias suæ filiæ cum Francisco Gonzaga ambiens, Joannem Turrium

(‡) *Cap.* 25. (*) *Cap.* 18. (a) *Cap.* 4.

rium Mantuam ablegavit: qui non domini mandata, ſed tanquam ſuum conſilium afferens, rem ex voto tranſegit. (*a*)

Majora patefacturum erat] Nam matrimonium ad majora intenti decus ac robur eſt. (*b*) Cujus rei inſigne exemplum de Ludovico Gonzaga refert Henricus Davila (*c*) in hiſtoria.

CAP. X.

D*Um ſocors domi, belli infauſtus, ignaviam ſævitia tegat*] Vide noſtra ad finem ſexti Annalium.

CAP. XI.

V*T non dominationem & ſervos, ſed rectorem & cives cogitaret.* &c.] Antiquæ & moribus ſeculi obſoletæ ſapientiæ monitum eſt, Reges populi, non hunc Regis cauſa factũ conſtitutumque eſſe: ideoque omnes principis curas, cogitationes, ſtudia, ad populi ſalutem & utilitatem dirigi debere. Quo pertinet iſtud Claudii præceptum, Meherdati, quem ad Parthorum regnum capeſſendum dimittebat, datum; ut non dominationem & ſervos,

(a) *Poſſevin. 4. hiſt. Mantuan.* (b) *Tacit. Agric.* (c) *Lib. 3. hiſt. in fin.*

ſervos, ſed rectorem & cives cogitaret. Cui gemina eſt illa Galbæ ad Piſonem Oratio: (a) Utiliſſimus idem ac breviſſimus bonarum malarumque rerum delectus eſt, cogitare quid aut volueris ſub alio Principe, aut nolueris. Neque n. Romæ, ut in cæteris gentibus, quæ regnantur, certa dominorum domus, & cæteri ſervi: ſed imperaturus es hominibus, qui nec totam ſervitutem pati poſſunt, nec totam libertatem. Et eundem ſenſum habet illa Marcelli Eprii ſententia: (b) quomodo peſſimis Imperatoribus ſine fine dominatio, ita quamvis egregiis modus libertatis placet. Iſti principalis officii fundamento Ariſtoteles (c) illam tyranni definitionem ſuperſtruxit, quâ tyrannum omnia ad ſui privatam, nihil ad populi utilitatem referre tradidit. Sed exagitat ſatyrico felle hanc definitionem Trajanus Boccalinus (d) tanquam moribus noſtris minimè congruentem; & quæ nimiâ laxitatè pleroſque ſeculi Principes involveret. Rari profectò ſunt, qui vero, neque ſua utilitate fucato amore ſubditorum commoda

(a) *Tacit.* 1. *hiſt.* 18. (b) *Tacit.* 4. *hiſt.* 8.
(c) *Ariſtotel. polit.* (d) *Centur.* 1. *ragguagl.* 76. *adde Cent.* 2. *raggu.* 31.

commoda atque ſalutem procurent. Pacem deſiderant & tranquillitatem, opes atque divitias civium, ſcilicet ne quicquam ærario decedat. Horrent bellum, & miſerias publicas, tanquam tributorum collationi impedimentum, detrimentumque allaturas. Nimirum ſalus ac utilitas publica illa vocatur, quæ principi prodeſt. at ingruente neceſſitate, vita ac fortunæ omnium uni impendantur. Etiam qui verecundis cogitationibus, & optimo animo regni habenas ſumſerunt, ſæpe vetuſtate imperii & vi dominationis convulſi ſunt.

Ferenda regum ingenia; neque uſui crebras mutationes] Aurea ſententia, quam perpetuo animo fixam tenere debent, quibus pax & quies cordi eſt. Ferenda regum ingenia: ferendæ regnorum mutationes. Mali æque ac boni principes Dei donum ſunt: & rerumpublicarum transitus diſponuntur in cœlo. Optimus igitur civis eſt, qui ſtatu, in quo degit, contentus, legibus & moribus honeſtis ſe accommodat; qui meminit temporum, quibus natus eſt; quam civitatis formã patres aviq; inſtituerint: ulteriora miratur, præſentia ſequitur: bonos principes voto expetit, qualescunq; tolerat: (*a*) deniq; quomodo ſterilitatem

(a) *Tacit.* 4. *hiſt.* 8.

tatem aut nimios imbres, & cætera naturæ mala, ita luxum vel avaritiam dominantium tolerat.(a) Quantum enim pertinet ad hanc vitam mortalium, quæ paucis diebus ducitur, & finitur, quid intereſt, ſub cujus imperio vivat homo moriturus, ſi illi, qui imperant, ad impia & iniqua non cogant? (b) Igitur, ubi aliquæ diſſidendi à principe aut popularibus noſtris cauſæ ſuperveniunt; ſemper tutius eſt, domi pacem curare, quam aliunde bellum accerſere. Suſpectus eſſe debet, quiſquis opes ſuas vireſque in vendendis turbis offert. Adverſus partem accitus, plerunque contra omnes valeſcit. Auxilium, Defenſio, Protectio nomina ſunt, à quibus ad ſervitium facilime tranſitur. Et plerunque ſub factionibus & factioſis plura perferunt mala rebelles, quam quibus excutiendis à legitimo principe deſciverunt. Viciſſim neque Princeps primam quamcunque civium culpam, antequam pœniteat, armis ulciſci debet; ille maxime, qui feroces & irritabiles populos ſub imperio ac ditione, aut exteros potentiæ ſuæ æmulos habet. In pace & quiete bonis artibus locus eſt; ubi bellum ingruit; peſſimo cuique plurima

(a) *Tac. 4. hiſt. 74.* (b) *Aug. 5. de Civit. Dei 17.*

ma vis ; & pereunte obsequio ac reverentia summa imperii periclitatur. Nulla rebellio tam est immodesta, ut statim Regem excutiat. per gradus ad tantum nefas ascenditur. Igitur inter furoris initia, & dum nondum pertinaciam induerunt motæ mentes, tractatu, negocio, pace facile in viam redeunt, qui armis irritantur magis atque exacerbantur. Quo præcipue argumento Melchior Cardinalis Cleselius Matthiæ Imper. bellum in Bohemos dissuadebat. Sigismundus Poloniæ Rex, paterno Sueciæ regno excidit, dum immatura arma patriæ infert. Et nuperrime Carolus Britanniæ Rex neque consilio neque viribus satis instructus bello subditorum insaniam in extremam sibique ac toti familiæ regiæ fatalem rabiem concitavit. Etiam illud in bellis civilibus observatur, sæpe ad alios nostros subditos exempli contagiũ transire : & qui initio scelus inclamitabant, posteà mitius de rebellione judicasse, usque ad damnatæ olim causæ patrocinium progressos. Saxones in Henricum IV. Imperatorem contumaciam & arma induerant : qui in comitiis Gerstingensibus suam causam tam plausibiliter egerunt, ut principum, qui aderant, nemo duriorem in illos sententiam dixerit: nemo rebelles turbatores-

batoresque reip. censuerit appellandos: quia potius versæ in Henricum iræ, per cujus impotentiam Saxonibus non licuerit quiescere. Viros ingenuos eo necessitatis adactos, ut servitus illis vel arma fuerint capessenda; & sub jugum aut signa abeundum, auxilio quam odio dignio-res videri. Cui enim dubium esse posse, regio furori, an fortium sociorum ærumnis ferre suppetias, & tyranno coronam, an civibus nihil meritis civitatem detraxisse æquius sit? (*a*) Redivivum ejusmodi concionum & consiliorum exemplum proximis superioribus annis orbi exhibuit Anglia, cum in Scotos armatæ, & à Carolo eductæ cohortes Anglicæ pejora Scotis postea ausi sunt. (*b*) In quam sententiam extat etiam egregia Roderici Gomezii Sylvæ bellum in fœderatos Belgas dissuadentis Oratio apud Famianum Stradam; (*c*) Intempestivum, ajebat, quietos populos armis lacessere, simulque finitimos hæreticos ad opem sociorum pronos irritare. Cavendum eo maxime in loco belli civilis incendium, ubi circa sint, qui illud alant, procul qui extinguant.

(a) *Brunner.* 11. *annal. Bojor.* (b) *Irenæ. Philaleth. hist. mot. Scotic.* (c) *Dec.* 1. *hist. Belg. lib.* 6.

tinguant. quanquam ne extingui quidem posse sine ruina Victoris. Nimirum inter civiles urbium, hominum, fortunarum strages adimi principi, quicquid victis perit. Quantumcunque peccatum à Belgis ad eam diem, à Regis sorore abunde fuisse correctum; &, si quid vincendum superesset, animos esse, non corpora: illos autem non armis, sed beneficio expugnari. Id vero & clementiæ principis accommodatius, & Belgarum ingeniis: de quibus verissime dictum fuerit à Carolo Imper: nullos esse populos, qui servitutis nomen magis execrentur, rem magis patiantur. (a)

CAP. XII.

MIlitares artes per otium ignotæ, industriosque ac ignavos pax in æquo tenet] Vide Macchiavellum tertio dissertationum, capite XVI.

Barbarorum impetus acres cunctatione languescere, aut in perfidiam mutari. itaque urgeret cœpta] Cunctari, propria debiliorum solertia est. quippe potentiori pravâ æmulatione, aut imprudenti confidentiâ collidi stultum; contrà desperatis quoque rebus sæpe-

(a) *Adde Forstner. Omiss. p.* 548.

sæpenumero tempus remedium affert: tum maxime, cum hostis imprudentia ruit. (a) Tunc enim quietum intentumque alienam stultitiam opperiri, loco sapientiæ est. (b) Et multa bella impetu valida per tædia & moras evanuerunt. (c) Quod vel unius Q. Fabii, cui Cunctatoris nomen prudens Antiquitas imposuit, exemplo manifestum fit. Ex contrario, Validioris est, insistere famæ, & victoriæ; urgere cæpta; uti recenti terrore; & impellere in casum propendentē hostem. Est & aliud tempus rumpendi moras, cum mora deteriores fiunt res nostræ; & ubi periculosior est quies quam temeritas. (d) Ita Meherdâtes auxiliis nudatus, cæterorum proditione suspecta, quod unum erat reliquum, rem in casum dare, prœlioque experiri statuit. (e) Qui Gallo hodie milite sive proprio sive auxiliario utuntur, illorum primam veluti aciem statim hosti objiciunt; belli incommodis, alias & tempore ipso mox hebetandam, retundendamque. Magnorum quoque scelerum id ingenium est, ut non lauden-

(a) *Tac. 2. hist.* 34. (b) *Tac. 2. hist.* 34. *Itali dicunt*, che la fortuna de savy si fabrica a spese de pazzi. (c) *Tac. 2. hist.* 32. (d) *Tac.*
(e) *Tac. 12. ann.* 14.

laudentur nisi peracta. (*a*) Quomodo Nero, veneficio Britannicum tollendi certus; & lenti sceleris impatiens, minitabat Tribuno, jubebat supplicium Locustæ Veneficæ, quod, dum rumorem respiciunt, dum parant defensiones, securitatem morarentur. (*b*) Est & illa rerum & negociorum distinctio observanda; ut in iis, quæ temporis beneficio evitari, corrigive possunt, cunctatione utendum; (*c*) at cum illis, quæ, utcunque effugere velis, tamen recurrent, quantocius transigendum sit.

Summam fortunam in luxu ratum] Quomodo Othoni quoque objectum fuit, stupra & Commissationes, & fœminarum cœtus Principatus præmia putasse: (*d*) & de Vitellio Tacitus, (*e*) fortunam principatus inerti luxu ac prodigis epulis præsumpsisse: & de Domitiano, filium principis adulteriis & stupris agere: (*f*) & ex paternâ fortunâ tantum licentiam usurpare. (*g*) Similiter de Juliâ Augusti filiâ Vellejus Paterculus; (*h*) magnitudinem

(a) *Tac.* *Quo spectat Florentinorum proverbium*, Cosa fatta capo ha. *V. Not. ad* 13. *annal.* 15.
(b) *Tac.* 13. *annal.* 15. (c) *In quibus verum est, quod Itali jactant:* chi ha tempo, ha vita;
(d) *Tacit.* 1. *hist.* 30. (e) *Tac.* 1. *hist.* 62.
(f) *Tac.* 4. *hist.* 2. (g) *Tac. Agric.* 7.
(h) *Tac.* 2. *hist.* 100.

tudinem fortunæ ſuæ peccandi licentiâ metitam. Ludovicus Hungariæ Rex, quod choreis magis, quam ſeriis negotiis ſtudebat, & omnia regia munera negligentius obibat, vitæ exitum habuit, qualem Chriſtianus orbis perpetuo lugebit. Luxus pars ſunt inutiles ceremoniæ, paratuſque aulæ, quibus impediti Principes rerum occaſiones amittunt. Hoc vitio Hiſpani male audiunt, tanquam præter ingenii lentorem etiam latinioſo ceremoniarum apparatu moram negociis afferentes. Contra quam de Cn. Agricola Tacitus (*a*) teſtatur: cui ingredienti provinciam, quod tempus alii per oſtentationem aut officiorum ambitum tranſigunt, labor & periculum placuerit.

CAP. XIII.

I*Zates ſocietatem Meherdatis palam induerat, in Gotarzen per occulta, & magis fida inclinabat*] Simili dolo quidam Gallorum primores Romanis auxilium ferebant, quo diſſimularent defectionem, magiſque in tempore efferrent. (*a*) In turbis civilibus mala plerunque procerum ſolertia eſt, utrinque militare; & alteri partium corpus, alteri

(*) *Tac. Agricol.* 18. (a) *Tac.* 3. *annal.* 41.

alteri animum commodare. Alia cautio eſt, ut apud principem pater, in caſtris factioſorum filius, aut frater mereant: ut, quomodocunque fortuna tranſigat, apud Victorem ſibi præmium, proximo veniam paret, qui feliciores partes ſecutus fuit.

CAP. XIV.

F*Lumine Cormâ pro munimento uti*] quod nunquam ſatis tutum eſſe, Macchiavellus docet primo diſſertationum. (*a*)

Barbaros malle Româ petere Reges, quam habere] Hunc locum in Omiſſis explicavi ad primum (*b* & ſecundum (*c*) Annalium: ex quibus locis apparet, vocatorum credulitatem vocantibus ſæpe irriſui fuiſſe: & eoſdem qui nunc mutare dominum geſtiunt, ſemel levitati aſſuetos, ſimul ac conſilii pœniteat, vel nova querimoniarum cauſa nata fuerit, aut perfidiæ præmium oſtentatum, nulla verecundiâ novum dominum quærere: à quo ne fraudi iis ſit diſceſſiſſe, veniam ſceleris majori ſcelere emere ſolere. Cujus rei præter alibi annotata, ſingulare exemplum de Ludovico Germaniæ Rege ad Aquitaniæ regnum vocato

(a) *Cap.* 23. (b *Verb.* nam ſpes inceſſerat, diſſidere hoſtem. (c) *Verb.* ambigua ea gens *&c.*

cato refert in Annalibus Boicis, (a) Andreas Brunnerus.

Meherdates pollicita Parrhacis paterni clientis secutus, dolo ejus vincitur, traditurque Victori] Intuta sunt adversa. (b) Omnes aliena pericula deserunt: infelici nemo amicus est. Imo parum est amicum non esse. odio habent, impelluntque in ruinam. Quis in adversis beneficiorum servât memoriam? aut quis ullam calamitosis deberi putat gratiam? aut quando fortuna non mutat fidem? Cn. Pompejus Cæsarem fugiens imperio arbitrioque Ægyptii mancipii jugulatus est, (c) Jugurtha à Boccho proditus. (d) Caractacus à Cartismandua. (e) Anicetus Polemonis libertus à Sedochezorum Rege. (f) Annibal Pœnus à Prusia Bithyniæ Rege. (g) Comes S. Pauli à Carolo Burgundo. (h) Coccus Moneta à Bona Galeatii Sfortiæ vidua. (i) Ascanius Cardinalis Sforza à Conrado Lando. (k)

Auribus decisis vivere jubet, ostentui clementiæ suæ, & in nos dehonestamento] Annotanda

(a) *Lib. 6.* (b) *Tacit. 12. Annal. 36.*
(c) *Vellej. Patercul. 2. hist. Plutarch. Pompej.*
(d) *Sallust. Iugurtha.* (e) *Tac 12. annal. 36.*
(f) *Tac 3. hist.* (g) *Liv.* (h) *Cominæus.*
(i) *Guicciard. Comin. Corius in hist. Mediol.*
(k) *Mich Bauder. in Vita Card. d' Amboise.*

notanda loca parallela. Infra hoc libro(*) inopi quantò longiorem vitam, tanto plus supplicii fore. & eodem libro Caractacus: (†) supplicium mei oblivio sequetur. at si incolumem servaverit, æternum exemplar clementiæ ero. Libro XIV. annal.(‡) Quin in insula publicatis bonis, quo longius fontem vitam traxisset, eo privatim miserior, & publicæ clementiæ maximum exemplum futurum.

CAP. XV.

NEc *fuit in arduo societas, potentiam Romanam adversus rebellem Mithridatem ostentantibus*] Etiam federa humanarum rerum incertam, atque ancipitem condicionem produnt: Cum longe dissitis inita vix unquam in tempore auxilia nobis transmittunt. (*a*) proximorum (illorum maxime, qui potentia prævalent) sæpe insidiosa est, & periculi plena amicitia. Infirmis & impotentibus jungi neutris salutem, sæpe utrisque perniciem attulit. Nimirum hi tales tantum

—— *quærunt*
Cum qua gente cadant. (*b*)

Nihil

(*) *Cap* 20. (†) *Cap*. 37. (‡) 14.*annal.* 48.
(a) *Itali significanter dicunt:* l'agua lontana non mai spegne fuoco vicino. (b) *Lucan.* VIII. *Pharsal.*

Nihil olim profuit federatis Belgis Matthiam Archiducem, & Francifcum Alençonium fuę caufæ patronos & vindices adfciviffe: quorum ille juvenili imprudentiâ contemptum, hic dominationem affectans odium retulerunt. Fridericus Palatinus neque Bohemos in libertatem afferuit; & ipfe fuum quoque patrimonium infelici caufæ impendit. Major Batavorum, ac Sociorum felicitas fuit, Gallos Britannos, Germanos, parē Hifpanæ potentiam, communi metu junctos in armorum ac Confiliorum focietatem traxiffe. Uti autem miferorum ac debilium infructuofa atque inutilis amicitia eft; ita contra validiorum focietate atterimur. (*a*) adverfarum rerum ex æquo Socii, in fecundis minores fumus. (*b*) Victoriæ fructus illi colligunt: difcrimen ac pericula ex æquo utrique partiuntur; quia ad leonini federis legem, femper potiori prædæ ac prœmia cedunt: minoribus fumma votorum eft, perniciem evitaffe. Quinimo fæpe potiores ciere bellum, irritare hoftem, dein præcipitatâ pace periculis ac cafibus fubtrahere fe folent, infirmioribus in prædam & injurias relictis. Romani Sociorum fanguine externos

(*a*) *Tacit. 4. hift. 12.* (b) *Tac. German. 36.*

ternos populos, posthæc ipsos subjecerunt. Venetorum cum Hispanis contra Turcam contracta federa plures ob causas haut duraverunt; illam præcipue, quod contra pactorum fidem potentiores capta ex hoste loca sibi assererent. Veneti Florentinis contra Mastinum Scaligerum juncti, Tarvisium & Vicetiam hosti adempta sibi servaverunt, exclusis sociis. (a) Et alio tempore, cum iidem populi cum Philippo Mediolani Duce bellum gererent; facta subito pace Veneti Bergomum & Brixiam sibi quæsivere Florentinorum pecunia: qui tres milliones, & quingenta millia Ducatorum in id bellum impenderant; nullo tot sumptuum pretio, nisi quod pauca castella bello amissa, pace recuperabant. (b) Quibus aliqua nostrorum temporum gestorumque notitia est, sat sciunt Oxensternium & Suecos, quanquam paulo ante pugnam Nordlingensem declinante armorum suorum fama, tamen invitos valde ac prope reluctantes in societatem ac fedus admisisse Ludovicum Galliæ Regem. Etenim secum reputabant, à se quæsita socio com-

G munia

(a) *Macchiavel. 2. Hist. Florent.* (b) *Machiav. 4. Hist. Florent.*

munia fore. Quid communia? tot annorum labores ſolis Gallis deſudatum iri. Eluſuros vim Suecorum Romano Catholicos, Gallica protectione tutos. Neque ſane vanus iſte metus fuit. Statim in novæ amicitiæ auctoramentum Philippurgum, & paulo poſt Colmaria, Seleſtadium, Hagenoa, cæteræque Alſatiæ Urbes, quæ teneri à Suecis non poterant, in Gallorum jus ac ditionem conceſſerunt (*a*).

Illud præterea rerum civilium periti monent, pacem quidem cum iis, quos ſemper hoſtes habuimus, ſed haut facile federa ineunda: & quod hinc proximum eſt, non fidendum eorum amicitiæ & auxiliis, quibus nobiſcum lites & controverſiæ intercedunt.

De cauſis, ob quas facile diſſiliant federa, alibi diſſerui, quantum ſatis eſt. (*b*)

CAP. XVII.

VT *belli potius jure caderent*] Non eſt ſatis idonea tot innocentium, & quibus tuto parci poterat, cæſorum ratio (*a*).

Excidio

(a) *Vide Galeat. Guald.* 9. *Hiſt.* (b) *Ad primum annal. Verb.* poſt Antonium Tarentino &c.

(a) *Vide Noſtra ad* 13. *Annal.* 41.

Excidio Uspensium metus cæteris injectus] In bello externo excidio urbium, & sævitiæ fama metus, inter arma civilia sæpius desperatio cæteris injicitur.

Nihil tutum ratis, cum arma, munimenta, impediti vel eminentes loci, amnesque & urbes juxta perrumperentur] Videsis Macchiavellum primo dissertationũ, capite XXIII.

Postquam prævaluit gentilis utilitas] Perditis socii rebus, & nulla nostra ope reparandis sejungere causam, & sibi consulere licet. Stulta fides est, quæ nec amicum servare potest, & teipsum pessumdat.

CAP. XVIII.

F*Rater Cotys proditor olim*] Historiam, quæ cum amissis Taciti libris periit, recitat ex Petro Patricio Carolus Scribanius in Institutione politico-Christiana (*a*).

CAP. XIX.

B*Ellorum egregios fines, quoties ignoscendo transigatur*] Non generosum modo est, plenumque gloria parcere, & ignoscere delictis: sed & ad regnãtis securitatem pertinet, Venia, quam Victoria, bella civilia finire;

(a) *Cap.* 26. §. 7.

finire; etiam post Victoriam pœnitentia contentum, pœnam remittere, pluraque vi majori, & temporum necessitatibus, quam hominum voluntati imputare. Quomodo Vespasianum, quanquam alio de argumento, in Senatu disseruisse Tacitus (a) ait, de abolendo dolore, iraque, & priorum temporum necessitatibus: & Cerialis defectricium legionum mulcens animos, *fato acta* dictitabat, quæ militum ducumque discordia, vel fraude hostium evenissent (b). Rationes hujus consilii prudenter tetigit apud Ammianum Marcellinum (c) Constantius Imperator ista ad milites Oratione: Arduos Vestræ gloriæ gradus, Alamannorum Reges & populi formidantes, per Oratores summissis cervicibus concessionem præteritorum poscunt & pacem: quam ut cunctator, & cautus, utiliumque monitor, tribui debere censeo, multa contemplans. Primo, ut Martis ambigua declinentur: dein ut auxiliatores pro adversariis adsciscamus; quod pollicentur: tum autem, ut incruenti mitigemus ferociæ flatus, perniciosos sæpè provinciis: postremo, id reputantes, quod non ille hostis vincitur solus, qui cadit in acie, pondere armorum oppressus & virium,

(a) 4. *Hist.* 44. (b) 4. *Hist.* 72. (c) 14. *Hist.*

rium, ſed multo tutius etim tuba tacente, ſub jugum mittitur voluntarius, qui ſentit expertus, nec fortitudinem in rebelles, nec lenitatem in ſupplices animos deeſſe. Quæ ſententia cum illa, quæ apud Tacitum paulo poſt ſequitur, congruit: quanta pervicacia in hoſtem tanta beneficentia adverſus ſupplices utendum. Iſta quidem ſpecioſa ſunt, & ab aphoriſmographis ſecura Orationis volubilitate jactata: neque tamen tutum ſemper fuit, conſpirationes paucorum, aut plurium civili bello Væſaniam venia aut oblivione tranſmiſiſſe. Extant illorum Principum exempla, quibus clementia, & præteritorum abolitio non laudem modo, ſed & ſecuritatem peperit: ſunt ex diverſo, quibus *periculum ex miſericordia* (a) coaluit; quique primi ſceleris impunitate ſecundi audaciam fecerunt. Diverſorum eventuum cauſas ſubtiliter rimanti diſtinctionibus quibuſdam res commode explicari mihi videtur. Plurimum enim intereſt, qui ſint illi qui puniunt, & qui puniuntur; quique ignoſcunt, & quibus ignoſcitur. Principibus ad quos potentia tanquam parentum hereditas ab inteſtato, vel adoptione, vel Teſtamento, aut Senatus populive ſuffragiis defertur,

(a) *Tacit.* 3. *Hiſt.* 66.

fertur, præcipue poſtquam plurimorum annorum decurſu radices egit, pluriumque liberorũ munimentis innititur, tuto licuit, licetque clementia turbas civiles componere, & venia conjurationes conjuratoſque proſequi. Etiam illorum liberis parcitum legimus, qui imperium ſibi rapuerant contra principem, vetuſta ſucceſſione aut legitima electione firmatum. Vix enim quisquam tanta væcordia eſt, qui poſt primi conatus infelicem ſucceſſum denuo laceſſere audeat principem longo quietoque imperio, benevolentia civium, & liberorum numero munitum. M. Antoninus Philoſophus Imp. Fauſtinæ uxori, hortanti ut in Avidii Caſſii conſcios vindicaret, reſcripſit: Ego vero & ejus liberis parcam, & genero, & uxori. & ad Senatum in hæc verba: Filiis Avidii Caſſii & genero & uxori veniam dabitis, & quid dico veniam? cum illi nihil fecerint. Vivant igitur ſecuri, ſcientes ſub Marco ſe vivere. Vivant in patrimonio parentum, pro parte donato: auro, argento, veſtibus fruantur. Sint divites, ſint ſecuri, ſint Vagi, & liberi, & per ora omnium ubique populorum circumferant meæ, circumferant Veſtræ pietatis exemplum. Imperatori non inmerito Senatus acclamavit: Bonum imperium nulla

vis

vis lædit (*a*). Alia plane illorum condicio eſt, qui principatum ſcelere quæſitum in invitos, & odio flagrantes exercent. Neque enim imperium flagitio ademptum bonis artibus exerceri poteſt, aut ſubita modeſtiâ retineri (*b*). Vocat ſane Florus (*c*) Sertorianum bellum Syllanæ proſcriptionis hæreditatem: neque negari poteſt, metum ac terrorem infirma potentiæ non minus atque caritatis Vincula eſſe: neque tamen eo magis dici debet, clementia tyrannidem ſervari. Inſontibus innoxia conſilia ſunt: (*d*) at ſcelera ſceleribus tuenda. Vim vis tuetur, intuto ſane & fragili præſidio; ſed tamen præſidio. Clementia, manſuetudo, offenſatum venia, non ſunt idoneum hujus principatus inſtrumentum. Qui enim extinctorum pulſorumve principum ſanguinem attingunt, vel prioris reip. pars fuerunt, nullis beneficiis manſueſcunt, & omne præmium infra libertatis pretium eſt. Ergo diffidentia pro munimento uti, delatoribus, cuſtodia militari, caſtellis inviſam omnibus dominationem vallare, metu obſequiū extorquere, haſta, ſectore, carnifice, omni denique pœnarum

 acer-

(a) *Vulcat. Gallican. in Avid. Cap.* (b) *Tacit.* 1. *Hiſt.* 30. & 83. (c) *Flor. Lib.* 3. (d) *Tacit.* 11. *Annal.* 26.

acerbitate contumaciam ulciſci, una quidem potentiæ ſalutiſque tuendæ; ſed miſerrima ratio eſt. Proxima huic illorum condicio, qui nullis malis artibus in juris ſubſidium vim accerſere,& ſucceſſione ſuffragiisve delatum imperium armis aſſerere coacti ſunt. His ſane in reluctantes, ut jugum ſubeant, ſæpe bello opus eſt: & quædam vi tractanda, quo cæteris quies ſit: (*a*) Certum tamen eſt; iſtiuſmodi principum adminiſtrationem perpetuis conſpirationum, turbarumque civilium motibus, metu ac ſuſpicionibus inquieta, eoque nomine infelicia plerunque eſſe. Quod Henrici VII. Angliæ Regis hiſtoria, à Franciſco Bacono Verulamio ſummâ prudentia ſcripta, poſt alios egregie docet.

Poſt hoc primum regnantium diſcrimen, aliud illorum, qui regnantur, obſervandum eſt. Sunt enim qui inconſultis affectibus, iniquâ iracundiâ, levitate ingenii, malorum ſocietate abrepti, alieno potius inſtinctu, quam ſuo conſilio peccant: ſunt excontrario, quibus mutatus Reip. ſtatus, amiſſa libertas, erepta dignitas altius animo inſident, àtque acerrimos recuperandi perdita ſtimulos ingerunt; nullis beneficiis cicu-

(a) *Tacit.* 1. *annal.* 9.

cicurandi. Ex quo fonte judicari debet, quare prudenter Augustus Liviæ suæ consilium secutus Cinnæ ignoverit: (*a*) & quare Cæsar Dictator post ereptam patriæ libertatem Bruto & Cassio ignoscere minime debuerit. Potuit Henricus IV. Galliæ Rex nullo suo periculo Carolo Birono, homini stolide feroci, & aliorum consiliis seducto veniam dare: & dedisset nisi ille inficiati criminis pervicacia supplicii necessitatem extorsisset. (*b*) Est præterea alia belli civilis, alia paucorum conjurationias ratio. Tutius enim promptiusque in paucos supplicio animadvertitur, quam plurium furor armis coërcetur. Etiam justitiæ convenit, in bello multitudini parcere. In conspiratione omnium par crimen est · in bello paucorum. Hinc illud Taciti: Antiochus blandimentis adversus plebem, fraude in ducem, cum barbarorum copias dissociasset, Trosobore paucisque primoribus interfectis, cæteros clementia composuit. (*c*) Et illud: * Brigantes paucis qui arma cœptabant, interfectis, in reliquos data venia, resedere.

(*a*) *v. Dion Cass. lib.* 55. *Sen. lib de Clement.*
(b) *Thuan. Petr. Matthæ.* (c) *Tac.* 12. *annal.* 55. (*) *Tac.* 12. *ann.* 32.

Quinimo ſæpe ducibus quoque eadem quæ multitudini impunitas proponitur, neque impunitas tantum ſed & præmia: quod ad quartum decimum annalium (*a*) commodius docebitur. Etiam neceſſario ducibus parcitur, quorum ſupplicio feroces populi alienari poterunt: quod Claudii Civilis exemplo Tacitus (*b*) & Stachaonis Aſturiani Ammianus Marcellinus (*c*) docet.

Poſtremo illud quoque prætereundum non eſt, ubi redituri poſt victoriam furoris indicia adſunt (quod Carolo Magno in debellandis Saxonibus accidit) relinquendam quidem victis libertatem, agros, uxores, liberos; at detrahendam ſceleri materiam (*d*); hoc eſt, demenda arma, munimenta, fœdera, quæque alia rebellioni fomenta eſſe poterunt.

His ita explicatis reſtat quaſdam ἀμνησίας partes ac veluti munera explicare: quorum primum ac præcipuum in omnium injuriarum ac dettrimentorum oblivione, & partium diſſidentium reconciliatio-

(a) *Cap.* 24 (b) 1. *hiſt.* 59. (c) 20. *hiſtor.* (d) *Tac.* 12. *annal.* 22.

liatione consistit. Huic alia subserviunt. Tyrannorum acta, quæ quidem sine reip. pernicie servari possunt, minime rescindenda; magistratus ab illis creati conservandi; quæque ipsi promiserunt, à successoribus implenda sunt: quod Jo. Bodinus secundo de Republ. (*a*) explicat.

Privatorum contractus, fundorum alienationes, rerum dominia translata, omni, quod metus causa, restitutione cessante, rata firmaque esse oportet. Nam pacis causa quamvis injustos possessores eatenus tueri oportet, ut pristinis dominis aut ex ærario publico, aut, si id exhaustum fuerit, pecunia mutuo accepta satisfiat: Arati Sicyonii exemplo: cujus egregium factum Cicero secundo de officiis, Plutarchus in Arati vita, & ex illis in decretorum libris (*b*) Petrus Ærodius narrant. Quæ Reip. Quæstores, quæve privati tyrannis, eorumve jussu aliis solverunt, accepto ferenda, neque denuo repetenda sunt (*c*). Denique non est præcipitatis decretis, ac judiciis, quibus hostes, proditores, rei majesta-

 tis

(a) *Cap.* 5. (b) *Lib.* 1. *ti[illegible].* 2. (c) *v Quintil.* 5. *Instit.* 10. *Bodin.* 2. *de Rep.* 5. *Hotoman. ill. quæst* 5. *Matth. de Afflict. decis. Neap.* 1. 149. & 150.

tis pronunciantur partis adverſæ duces, eorumque bona publicantur, honores, magiſtratus, præfecturæ in alios transferuntur, via ad pacem præcludenda: quod alibi quoque pluribus docebimus (a). Sufficient nunc iſta ſpicilegia poſt elegantiſſimam Joan. Henrici Boecleri, amici noſtri diſſertationem, de Amneſtia, notis in Vellejum ſubjunctam.

Operæ pretium erit ex Antonii Poſſevini, Medici Mantuani hiſtoria, quæ paucorum in Germania manibus teritur, contrarias pro ſupplicio conjuratorum in Ludovicum Principem, & contra ſupplicium, orationes huc transſcribere. Pro Clementia, & venia Franciſcus de Cremis in hunc ſenſum dixit: Scio, Senatores, ſi flagitii immanitatem ſpectemus, quo Deos homineſque pariter conjurati læſere, nullum pœnæ genus, ſed nec ſerviles cruciatus ſufficere: quo principis optimi injuriæ, univerſi populi indignationi ſatisfiat. Sed ſæpe à majoribus noſtris dictum accepimus, plus clementia quam rigore profici; & beneficio certius obſequium, quam comminationibus parari. Simul nos ſub eo principe degimus, cui exoſa ſævitia, & pronus ſem-

(a) *Ad* 14. *annal.* 24.

ſemper ad pietatem animus eſt &c. Ita malorum remediis inſiſtendum, ut cum vindicta ſecuritas obveniat: quam amore non metu haberi, optimi morũ eruditores tradidere. Mactabuntur quidem, qui nunc in cuſtodia habentur: ſed parentes, fratres, conſanguinei, liberi, quorum intemerata in familiam principem fides agitatum ſcelus, non magis, quam vindictam & dolorem ſuum memorabunt. Nemo ſui ſanguinis adeo prodigus, ut crudelitatem, quã miſericordiam malit, aut publicum exemplum privato luctui antehabeat. Hac velut atroci pœna liberi, pudore ſceleris, confuſione acceptæ gratiæ, toto ævo & emendabuntur pœnitentia, & vitam dono conceſſam acceptam dantibus referent. Credite, Patres Conſcripti, vindictam è ſuis atrocem in modum ſumptam contumelia non vacare; manſuetudinem etiam apud barbaros commendari. Alexander Macedo in ſuos ſævitia uſus id expertus eſt, quod rigor amari non poſſit. Auguſtus magnis animis condonatam conjurationis injuriam in bonum ſuum vertit; nullis ſecurioribus incolumitatis ſuæ cuſtodibus, quam quos ſervaviſſet. Nero non una conjuratione impetitus, ubi crudelitatem in priores exercuit, à poſterioribus jugulatur.

Etiam Bonifacius in Avogadros implacabilis, æternum Veronensium odium, & vexationes expertus eſt. Animi enim etiam teſtamento legantur. abjectis ac ſordidis metus, quam beneficium æſtimatur: nobiles in pericula ſecuri, manſuetudine quam pœnis docentur. Hi ſeditiones ac conjurationes movent, proferunt', exequuntur: illi non vires, non aſtum, non audaciam habent, niſi impreſſa à validioribus & imperata. Sed & pœna culpæ æqualis ſancienda. quid vero crudius in convictos ſtatui par erat, ſi principis ſui ſanguine manus inquinaviſſent? an miſerrimis poſt vitam & facultates aliud ſupereſt, quo plectantur? Nunc Capitanei Dominique noſtri ſalus in tuto eſt. illi tantum deliberarunt. quod quanquam deſciſcere ſit: eſt tamen, quo gravius offendere potuiſſent. Tot nobilium cladem civitas omnis toleratura eſt. Nec enim in condemnatos quicquam ſtatui poteſt, quod univerſos non afficiat, amicitia, conſanguinitate. Et innoxii, optimeque de ſuo principe meriti non minus cæteris dolore plectuntur &c. Franciſcus de Ripa, veteri nobilitate, principum mores alibi quoque doctus, ſive ita ſentiret, ſive gratiam rigore quæreret, ita egit: Commendatam ſibi potentiorum in miſe-

miſeros ſemper clementiam fuiſſe: ita tamen, ne indulgentia ſcelere, ne pietas flagitio exolverentur. Nam facinorum reos, ubi effugia deſint, perpetuo miſericordiam conclamare, quam adverſus alios non exercuerint. Si quibus benignitas rigori antelata eſt expertos fuiſſe ita ſeculi ſui mores ferre. nunc malignitate temporum benignitatem licentia, veniam temeritas inſequitur. prorſus corruptos Italiæ mores, effractam veteris diſciplinæ modeſtiam, ut mitis clemenſque princeps pro ſecordi ac ignavo temnatur. Et in ſumma potentia deliberationem pro flagitio cenſeri. Jam vero cum pares inchoatis ac conſummatis vitiis pœnæ inferantur; præſentes & futuros doceri, quid attentari, quid cogitari debeat. Fruſtra culpas averti, niſi occaſio, cauſæ, origo, timore arceantur. Raros pietate ſervatos, plures metu: & ſi ſeveritas infracta fuerit, pariter & diſciplinam negligi. Servandum eundem legum ac rerum ordinem, ut punito priori certum ſit, nullam ſecuturo impunitatem fore. Clementiam Auguſto pernicioſam futuram fuiſſe, niſi nepotum, ac, quos adſciverat, filiorum, & mutua æmulatione ſervata, in longam ſenectam proceſſiſſet. Alexandrum Macedonem, ut moribus diverſum

verſum, ita libidinibus diſtractum non diu eaudem •regulam tenuiſſe. Bonifacium cæde ac fuga traxiſſe vitam: ſed ideo cæſum, quod non omnes & deprehenſos & ſuſpectos perdidiſſet. Nil ſaluti Principis civitati ſalubrius. hanc metu, pœnis, ac vigilantia tuendam, quanquam çivium diſpendio & cura. Eandem rationem publici, quæ totius corporis, eſſe. huic unum cordis, illi Domini ſalutem expedire. cætera mox adeſſe, libertatem, pacem, fas juſque gentium, &c. Deſiderato principe incerta Senatus populique ſtudia, diſpares animos, in propriam miſeriam ac perniciem properare. Nec præſentem principem minus futuro expedire: imo tutelam in futurum facere. Et quamvis clementiæ detur exemplum, id innocuos non tangere: reos parricidii promptiores flagitio, ut impunito reddi. At pœnas & vindictam in reos tranſire; ſed cunctorum monitu: ne integri occaſione corrumpantur. Niſi ſumma flagitia, proditio, ſeditio, conjuratio multentur; minora quoque contemni. Sed quanto longius à juſtitia & legibus tranſgreſſum eſt, tanto majori pœna in reos animadvertendum. At deliberatum ſolummodo, non item expletum ſcelus eſt. Sed non niſi providentia Numinis in

res

res patriæ. præcipuam tamen prudentiæ partem esse, curare ne, quæ corrigi nequeunt, admittantur. Quod si cuiquam in vitam Domini consulere ac deliberare licuerit; flagitia non casu aut impetu, sed cum præmeditatione fore. Ipsam cogitationem perdendi principis, occupandæ reip. evertendæ patriæ horrorem incutere, &c.

Zorsini victo nihil ereptum] Vide quæ ad XIV. dicemus. *(a)*.

Ne triumpharetur, neve pœnas capite expenderet] Solitine sint Romani hostium duces triumphatos semper occidere? inquirit libro tertio de jure pacis & belli *(b)* *Hugo Grotius*.

CAP. XX.

SVscipi bellum avio itinere, importuoso mari: ad hoc reges feroces, vagos populos, solum frugum egens: tum tædium ex mora, pericula ex properantia, &c.] Damnosum bellum est cum iis, qui non habent quod perdant *(c)*.

Transi modo (est Scytharum Oratio ad Alexandrum Magnum) Tanaim: scies quam

(a) *Cap.* 24 (b) *Cap.* 4. §. 12. *&* *cap.* 11. §. 7.
(c) *Guicciard.* 5. *hist.*

quam late pateant, nunquam tamen consequêris Scythas. Paupertas nostra velocior erit, quam exercitus tuus, qui prædam tot nationum vehit. Rursus cum procul abesse nos credes, videbis in tuis castris. Eadem enim velocitate & sequimur & fugimus. Nos deserta & humano cultu vacua magis quam urbes & opulentos agros sequimur, &c. (*a*) Fuit igitur cætera Caroli Burgundi imprudentia dignum facinus, Helvetios, quorum opes omnes calcarium frænorumque exercitus Burgundici pretium non æquabant, ob unum pellibus ovillis onustum carrum ablatum bello petiisse (*b*). Necessario magis consilio, sed ingentibus difficultatibus involuto Philippus II. Hispaniæ Rex Maurorum Granatensium reliquiis bellum fecit (*c*): in quo absumptis ferro & fame xxx∞. Hispanis, menstrua ducentorum millium aureorum nummûm impensa, duorum annorum continuatis laboribus nihil aliud profectum fuit, quam ut ferarum more in asperrimorum montium latibulis degentes tanquam in Venatione perirent, aut si qui se dederent, inde extracti in campestria spargerentur (*d*).

Quanto

(a) *Q. Curt. 7. hist.* (b) *Comin. 5. comment. 1.* (c) *Anno 1570.* (d) *Io. Bapt. Hadrian. 21. hist.*

Quanto longiorem vitam, tanto plus supplicii fore.] Hunc locum citavi supra ad hunc librum (*a*).

Quanta pervicacia in hostem, tanta beneficentia adversus supplices utendum] Vide quæ ad præcedens caput scripsi.

CAP. XXII.

M*Ateriem sceleri detrahendam*] Immensam scil. pecuniam, perniciosorum in rempub. consiliorum instrumentum (*b*).

CAP. XXIII.

V*T Senatoribus, &c. res suas invisere liceret*] Vti Iuris privati Interdicta Prætores olim proponebant (*c*): ita Politice quædam interdictis similia habet, quibus arcana dominationis, & status publici securitas continetur. Tale est, quod Tacitus notat (*d*) Augustum cavisse, ne Senatores aut Equites Romani illustres ingrederentur Alexandriam: & sepofuisse Ægyptum; ne fame urgeret Italiam, quisquis eam provinciam, claustraque terræ ac maris

(a) *Cap* 14. (b) *vid. Nostra ad* 11. *annal.* 1.
(c) *De quibus est liber* XLIII. *Digestor.*
(d) 2 *Annal.* 59.

maris insedisset (e). Huic affine est, quod idem Augustus edixit, ne quis Senator sine suo jussu extra Italiam peregrinaretur (a): & ante Augustum C. Cæsar Dictator, ne quis civis major xx. annis plus triennio continuo Italia abesset: neu quis Senatoris filius, aut comes Magistratus peregre proficisceretur (c). Itaque Galliæ Narbonensi specialiter indultum est, ut Senatoribus ejus provinciæ, non exquisita principis sententia, jure, quo Sicilia haberetur, res suas invisere liceret (d). Guilielmus Rufus Angliæ Rex vetuit se inconsulto insula exire. Quod Chinensibus quoque & Moschovitis in more est (e). Et non licuisse olim Episcopis, & jam à Pontifice vocatis sine Imperatorum Regumque permissione Romam, aliove proficisci, M. Antonius de Dominis Archiepiscopus Spalatensis docet, sexto de Republ. Ecclesiastica (f).

Postremo Condæo nuper defuncto, ab Henrico IV. Rege crimini datum est, quod contra leges regni, sine regis venia

(a) *Adde Tacit.* 1. *hist.* 11. *Clapmar.* 3. *de arcan. Freinshem. ad C. Curt.* 4. 1. 30. (b) *Dio Cass* 52. *hist.* (c) *Suet. Cæs.* (d) *Tacit. hic.* (e) *Boter.* 5. *della rag. di stat.* 8. (f) *Cap.* 7. §. 104. & *seqq.*

nia Gallia exire ausus fuisset (*a*). Aliud hujusmodi Interdictorum exemplum est, ne procerum filiabus inconsulto principe nuptias contrahere liceat (*b*). Qua ratione nuptias Maximiliani Regis Romanorum cum Anna Britanniæ Armoricæ hærede contractas nullas esse jussit Galliæ Rex; (†) & Iaquetam Intramontiam Sabaudiæ Dux proscripsit, quod se in vito, Gaspari Colignio nupsisset (*c*). Aliud itē est, ne in libera civitate peregrina uxor; neve civis filiam potenti extero elocet. Nam & magna patrimonia, opesque præcipuæ isto modo ad exteros transeunt: & multi potentia affinium ad impotentiam abutuntur (*d*). Quin etiam in principatu inter arcana imperii numeratur, ne matrimoniis aliarum gentium, aliorumve rituū purpurati misceantur (*e*). Locros Dionysius Syracusanus subegit, ducta in uxorem filia præpotentis inter Locrenses viri (*f*). Haud postrema odiorum in Cosmum Medicem, tanquam plus

(a) *Bentivogl. Relat. della fuga del Prencipe di Condé pag.* 427.

(b) *Boter.* 5. *della rag. di Stat.* 7. (†) *Bacon. hist. Henrici VII. Angliæ Reg.* (c) *Aubign. hist. tom.* 2. *lib.* 1. *c.* 1. *Henr. Dav.* 5. *hist.* (d) *Ludov. Septal.* 3. *della rag di Stat.* 13. (e) *Nic. Burgund.* 2. *hist. Belg.* (f) *Aristot.* 5. *Polit.* 7.

plus quam civilia agitantem, causa fuit, quod Claricen Vrsinam Laurentio filio desponsam vellet (a). Ludovicus XI. Galliæ Rex nuptias Caroli fratris cum Maria Caroli Burgundiæ Ducis filia omni arte, studio, industria disturba it (b). Guilielmus Auriacus Philippo Regi, etiam ante Belgii motum, præter alias causas, ea quoque suspectus fuit, quod magnam Septentrionis partem affinitatibus complectebatur: siquidem Iuliana mater, miræ fœcunditatis matrona, ex liberis potissimum fœminis, quas plurimas genuit, centum circiter ac quinquaginta nepotes, posterosque numerabat (c): quod Christiernæ Lotharingæ filiæ nuptias, magnum potentiæ adjumentum affectabat (d): quod denique Annam Mauritii Saxoniæ Electoris filiam duxisset (e). Præterea licere sibi principes putant, vetare, ne subjecti extero militent. Quomodo Clemens VII. Pontifex pœna publicationis omnium bonorum proposita publice edixit, ne quis Vasallus Ecclesiæ apud peregrinos stipendia faceret

(a) *Macchiav. 7. histor. Flor.* (b) *Comin. 3. Comment. 8.* (c) *Strada dec. 1. lib. 1.*

(d) *Strada d. lib. 1. Bentivog. Relat. della province Vnit. lib. 2. c. 2.* (e) *Strada lib. 3. Bentivog. d. loc.*

ret(*a*). Poſtremo ad ſecuritatem Principis maxime pertinet, ne caſtella, oppida, ditiones, venditione, aliove contractus genere in exteros abeant. Vicinos quoque cæteros vendita potentibus prædia cura & ſuſpicionibus angunt; quas interdum bello depulſas legimus. Ita venditæ ab Appianis Io. Galeatio Vicecomiti Piſæ univerſæ Italiæ metum incuſſerunt(*b*). Sabioneta à Stiliani principe Hiſpanis vænum oblata non Mantuanos modo principes, quos ea res tangebat, ſed Pontificem quoque male habuit(*c*). Florentini venditam à Gerardo Gambatorta Alphonſo Aragonio Vallem Balnei armis ſtatim repetierunt (*d*). Anguillara, Cervetrum, aliaque Romam juxta Caſtella Ferdinando Neapolis Regi vendita Italiæ armis turbatæ cauſa fuerunt (*e*). Ioan. Franciſcus Balnei Comes in bona paulo ante adempta ea conditione à Pontifice reſtitutus fuit, ne illa in potentem principem alienaret (*f*). Nuper Caſtrum à Barberinis fraude & vi affectatum pleroſque Italiæ Principes in arma egit.

Ituræi-

(a) *Guicciard.* 19. *hiſt.* (b) *Corius par.* 4. *hiſt. Mediol.* (c) *Poſſevin.* 8. *hiſt. Mantuan.*
(d) *Macchiav.* 6. *hiſt. Florent.* (e) *Guicciard.* 1. *hiſt.* (f) *vid. Victor. Sir. tom.* 1. & 2.

Ituræique & Iudæi, defunctis regibus Sohemo atque Agrippa, provinciæ Syriæ additi] Vide quæ de horum regum, quos Romani servitutis instrumenta habebant, conditione dicam ad librum xv. (*a*)

More prisco; quo iis qui protulere imperium, etiam terminos urbis propagare datur.] Quomodo apud Turcas nulli Imperatorum novum condere templum licet, nisi qui provincia ex hoste capta imperium auxerint. Sunt ista ambitionis stimuli.

CAP. XXV.

S*Tupro ejus illigatus*] Veneficia, stupra, adulteria, potentiæ sive quærendæ sive servandæ instrumenta interdum haberi pluribus exemplis (*b*) ad tertium Annalium docui: quibus addendum, quod Suetonius (*c*) refert; C. Caligulam, adhuc privatum, Enniam Næviam Macronis, qui tum prætorianis cohortibus præerat, uxorem solicitasse ad stuprum; pollicitum & matrimonium suum, si potitus imperio fuisset. denique per hanc insinuatum Macroni, veneno Tiberium perdidisse. Amachildem Rosimunda Longobardorum Regina stupro illigatum ad Alboini mari-

ti

(a) *c.* 25. (b) *Ad verba:* Nam vulgatum erat, missam, &c. (c) *Calig c.* 12.

ti necem invitum traxit. Vetus illi cum Rosimundæ ancillâ consuetudo erat. Hanc Rosimunda ostentato prœmio loco movet, & in ejus vicem intempestâ nocte, solitis Amachildi furti latebris succedit. Neque ille lasciviâ turgens, aut multo vino temulentus altius inquisivit. Ubi illuxit; manifestum facinus, nec aliud quam ex obsequio præsidium videt: quod in regis necem usque valuit. (*) Mompenseriam Henrici Guisii sororem fœdissimo stupri flagitio Jac. Clementem, Monachum ad Henrici III. Regis cædem induxisse constans, sed incertæ fidei rumor fuit. (†)

CAP. XXIX.

DIuturnitate in superbiam mutans] Vide notata ad librum X. (a)

Nec Claudius arma certantibus barbaris interposuit] Sive proferendi imperii incuriosus occasionem negligebat; seu mutuis cladibus atteri volebat, quos viribus exhaustos postea aggrederetur: seu denique scelus externum cum lætitia habendum ratus.

(*) *Possevin.* 1 *hist. Mant.* (†) *Thuan.* 96. *hist.* (a) *Cap.* 10.

Tutum Vannio perfugium promitteris, si pelleretur] Uti ante Maroboduo & Catualdæ fecerat Tiberius. (*a*)

Scripsit P. Atellio, legionem &c. pro ripâ componeret &c.] Inde nostrorum hominum axioma, ubi vicini bello se parant, nobis quoque arma induenda esse. (*b*)

Fama ditis regni &c.] Qui umbraticâ magis scientiâ, quam usu rerum edocti quærendæ reponendæque pecuniæ solertiam principibus adimunt, inter alia illo quoque argumento utuntur, quod ille opum suggestus aliorum cupiditatem irritet; & vel secretis conjurationibus, vel aperto bello causam dare soleat. Lycurgus propterea civibus suis auri & argenti usum omnem ademit, ne aut peregrinos imperii Lacedæmoniorum, aut Lacedæmonios imperii peregrinorum ulla cupiditas invaderet. (*c*) Hiero Syracusanus apud Xenophontem (*d*) tyrannos, quorum loculi prædationibus aucti turgent, suorum militum, custodumque insidiis maxime patere inquit: quod plus ex ærarii direptione, quam ex stipendio utilitatis sperent. Romanis Petronius Arbiter Romanus (*e*) ava-

(a) 2. *Annal.* 63. (b) *V. Boter.* 6. *della rag. di stat.* 17. (c) *Bodin.* 6. *de Rep.* 2. (d) *Xenoph. in Hieron. sive Tyranno.* (e) *Satyr.*

avaritiam bellorum causam objicit, his versibus:

> —— *Si quis sinus abditus ultra,*
> *Si qua foret tellus, quæ fulvum mitteret aurum,*
> *Hostis erat: fatisque in tristia bella paratis*
> *Quærebantur opes.* ——

Aurum & opes Tacitus (*a*) præcipuas bellorum causas vocat. Et idem Britanniam aurum & argentum ferre dixit; (*b*) *pretium Victoriæ.* Gannascus Caninefas Gallorum maxime oram vastabat; non ignarus *dites & imbelles esse.* (*c*) Ptolomæum Cypri Regem congestæ opes perdiderunt. (*d*) Eandem Cyprum Selimus Turcarum Rex Venetis ademit, insulæ fertilitate & opibus incitatus. (*e*) Quid dicendum? nullæne opes in futuras pacis ac belli necessitates parandæ? Sunt sane, sed illis Principibus, qui prudentiâ, fortitudine, famâ cunctis verendos se faciunt. Ignavi, imbelles, cum gazâ suâ præda fiunt. (*f*) Qui non omnem pudorem decoxerunt, & occultius grassantur, emptionem proponunt, pretium offerunt; rapturi, quod non conce-

(a) 4. *Hist.* 74. (b) *Agric.* 12. (c) 11 *Annal.* 18. (d) *Plutarch. Caton. min. Amm. Marcellin.* (e) *Paruta* 1. *de bello Cypr.* (f) *Vide Saavedr. Symb.* 69.

ditur. Interdum obæratis possessoribus pecuniam mutuam obtrudunt; vel, quod eodem tendit, nomina, lites redimunt; vexandi prætextum, & spoliandi materiam. Quæ pignoris nomine semel traduntur, raro aut nunquam ad veterem dominum redeunt. (a) Carolo Burgundiæ Duci inter alias odiorum erga Ludovicum Galliæ Regem causas fuit, quod Ambianum, Abbatis villam, Sanquintinum, aliaque à Carolo VII. Rege oppignerata oppida reluisset. (b) Idem Sigismundo & Helvetiis iratus fuit, ob Brisacum & Suntgoviam, pignoris nexu solutam. (c) Sabaudiæ Duces Nissam à Galliæ regibus pigneratam nunquam reddere voluerunt. (d) Superiori seculo Plombino Carolus Cæsar Cosmus Medices, & Genuenses inhiabant, securitatem Italiæ, impensarum necessitatem, & promptam mutuo dandæ pecuniæ voluntatem ostentantes. (e) Senas quoque idem Cosmus eâdem creditarum Philippo Regi pecuniarum solertiâ sibi atque posteris quæsivit. (f) Pinarolum nostra memo-

(a) *Vid. Boter.* 8. *della rag. di stat.* 10.
(b) *Comin.* (c) *Comin. Gerhard. à Roo.*
(d) *Io. Bapt. Hadrian.* 4. *hist.* (e) *Hadrian.* 6. 7. 10. & 12. *hist.* (f) *Hadrian.* (g) *Capriat. hist.*

memoriâ Galli, tum Sedanum (*) principibus ſuis coactis emptionibus extorſerunt: & Mombeligardo, paulo ante quam hæc ſcriberem, eædem inſidiæ tendebantur.

Caſtellis ſeſe defenſare, bellumque ducere ſtatuit] Iſta debiliorum ſolertia eſt. Multa bella impetu valida per tædia & moras evaneſcunt. (‡)

CAP, XXX.

SUbjectis ſuone an ſervitii ingenio..&c.] Confer ſimilia loca libri ſecundi (*A*) undecimi (*B*) & duodecimi. (*C*)

CAP. XXXI.

GNarus primis eventibus metum aut fiduciam gigni] Nam prout prima cedunt, erunt univerſa: (*a*) & fama in novis cœptis validiſſima eſt. (*b*) nec magis ex inſpectis cujuſque in ortu ſyderibus tenorem vitæ præcinunt conjectores, quam ex fortuna primum prodeuntis in aciem Imperatoris reliquæ curſum militiæ præſentiunt hoſtes. Neque tamen ſatis eſt, e-

(*) *Victor. Sir. hiſt.* (‡) *Tac* 2. *hiſt.* 32.
(A) *Cap.* 2. (B) *Cap.* 16. (C) *Cap.* 29.
(a) *Tac. Agric.* 18. (b) *Tac.* 13. *annal.* 8. & 15. *annal.* 59.

gregio facto famam & nomen quæsivisse. Nam ut alia, ita fama senescit: quam subinde claro facinore resuscitare necesse est. (a) In quem sensum à quodam (b) dictum est, aliâ victoria ad tuendam victoriam opus esse. Ita Hannibal Pœnus famam, quam apud Socios concitarat, non nisi triumphis ali posse norat; & admirationem sui morituram, simul atque admiranda facere desiisset. (c) Simile est quod apud Antonium Possevinum. (d) Carolus Gonzaga monet, Consanguinitates, ut reliqua mortalia, ætate languescere; & opus esse transeuntem catitatem novis conjugiis retinere. Neque eandem filiis ac nepotibus memoriã pietatemq; in affines. quo recentiora vincula sint, eo efficacius admonere.

Detrahere arma suspectis] Et suspectis arma, tanquam sceleri materia, detrahenda: & rebelles armis mulctandi in pœnam, simul & cautionem. Quod reliquum est, de armis armorumque studio, quæque inde ad rempub. bona malaque perveniant, prolixe disserui ad IV. annal. (e) & plura dicentur ad XV. (*f*)

Socie-

(a) *Vid. Macchiav. 3. discurs. 34.* (b) *Fam. Strada dec. 2. lib. 3. hist. adde M. Cicer. in Ep. ad Q. fratrem.* (c) *Andr. Brunner. 2 annal. Bojor.* (d) 8. *Hist. Mantuan* (e) *Verb:* plerunque inopes ac vagi. (f) *Cap. 2.*

Societatem nostram volentes accesserant] Ita plerunque evenit, ut à potentiori, & qui armis subjecti, & qui fœdere æquo aut clientela socii sunt, tandem pari servitii jure habeantur (*a*).

Conscientia rebellionis, & obseptis effugiis multa & clara facinora fecére] De vi desperationis dixi ad 11. Annal. (*b*)

CAP. XXXII.

CLade Icenorum compositi, qui bellum inter & pacem dubitabant] Magni plerunque sunt magnæ Victoriæ fructus: & magna prœlia magnæ mutationes subsequuntur. Præveniunt Victores amicorum pœnitentiam (*c*): & oppressa cunctantium dubitatione, omnes in unum cedunt (*d*). Plerique mortalium inter initia incerti consiliorum, prima rerum, & fortunam partium quieti speculari (*e*) solent; promptius accessuri certis ac Victoria paratis, quam ante Victoriam ancipitibus bellorũ casibus. Quoties igitur inter bello decertantes est, qui neutrius partes sequatur, utriq; se æquè amicum professus: quie-

 tum

(a) *vid. Nostra ad* 11. *Annal. p.* 243. *& seqq.*
(b) *verb.* aliud sibi reliquum, &c. (c) *Tac.* 6. *annal.* 44. (d) *Tac.* 6. *annal.* 43. (e) *Tacit.* 3. *histor.* 46. *&* 79.

tum, hoſtilibus factis laceſſere, aut ad ſocietatem vi compellere capitalis imprudentia eſt. Provinciæ Valonicæ inter federis cum Ordinibus Belgicis contra regem Philippum icti reverentiam, & conſilia cum rege in gratiam redeundi hærentes, dubitationem exuerunt, poſtquam ab Ordinum copiis hoſtiliter haberi cœperunt. (*a*) Nuper Tillius, capto Magdeburgo, & quadraginta millium exercitu ferox, cum Io. Georgium Saxoniæ Electorem inſolentibus poſtulatis perterrefieri poſſe autumaſſet, ſimul ducto in ditionem Saxonicam exercitu, Electorem ad ſocianda ſua cum Guſtavo Rege arma compulit; verſæ in deterius fortunæ Auſtriacæ initium (*b*).

Destinationis certum, ne nova moliretur, niſi prioribus firmatis] Cuſtodienda ſuſpecta (*c*): & dividendæ copiæ inter cuſtodiam pacis & belli (*d*). neq; terga nudanda (*e*), aut occaſioni patefacienda ſunt (*f*): Egregium documentum! quod poſt alios (*g*) notat, & veteris hiſtoriæ exemplis firmat

(a) *Fam. Strada. 2. hiſtor. Belg.* (b) *P. Bapt. Burgus. 2. hiſt.* (c) *Tac. Agric..18.* (d) *Incert. Panegyr. Conſtantino dictus.* (e) *Tacit. 2. hiſt. 82.*
(f) *Tacit. Agric. 14.* (g) *Scip. Amirat. 13. diſcurſ. 4. & 18. cap. 6. Macchiav. 2. diſcur. 1. Boter. 2. della rag di ſtat. c. 6.*

mat optimus ſimul ac eruditiſſimus Freinshemius ad tertium hiſtoriarum Q. Curtii: (*a*) quibus ex recentiori addendum, quod Belgæ federati tum maxime Hiſpanorum res acciderunt, cum Alexander Farneſius, ambitioſis Philippi Regis imperiis coactus Henoticam in Gallia factionem tranſlatis eo præcipuis Belgii viribus juvit (*b*). Venetos quoque reprehendit Guicciardinus (*c*) quod nondum firmata ſibi Patavii, Vicetiæ, & Tarviſii poſſeſſione, odio erga Alphonſum Ateſtinum exercitum in ditionem Ferrarienſem duxerunt: qua expeditione Pontificem & Gallos in ſe concitaverint. Ferdinandus, feliciſſimus Imperator ultimum defunctus, ſuam ipſe fortunam evertit, dum nimia confidentia, aut Hiſpanorũ importunitate ſolicitatus vires ſpargit, in Italiam & Belgium dimiſſis copiis, quæ Germanos domitos ut parerent, nondum ut ſervirent, continere debebant (*d*).

(a) *Cap.* 1. *num.* 19. (b) *Davil.* 11. *hiſt. Bentivol. Relat de Belg ſed lib.* 2. *cap.* 9. (c) *Lib.* 8. *hiſt.* (d) *Henr. Dux Rohan. de l'intereſt des Princes. par.* 2. *c.* 6. *Silhon Miniſt. d'eſtat. par.* 1. *lib* 1. *cap.* 9.

Paucis qui arma cœptabant, interfectis, in reliquos data venia, resedere] Hic locus relatus est supra ad caput XIX. hujus libri.

Colonia Camalodunum valida veterum manu deducitur in agros captivos, subsidium adversus rebelles, & imbuendis sociis ad officia legum] Inter alias novi Principatus retinendi rationes haut postrema est coloniarum in devictos populos deductio; subsidium adversus rebelles, & imbuendis sociis ad officia legum. Reliquarum præcipuas Tacitus in Agricola (a) complexus est. Redacta paulatim, *inquit*, in formam provinciæ proxima pars Britanniæ. addita insuper veteranorum colonia. quædam civitates Cogiduno regi donatæ. Is ad nostram usque memoriam fidissimus mansit: vetere ac jam pridem recepta populi Romani consuetudine, ut haberet instrumenta servitutis & reges. Mox Didius Gallus parta à prioribus continuit; paucis admodum castellis in ulteriora promotis, &c. Vides munimenta novi principatus; coloniam, castella, reges instrumenta servitutis. Sed ista, in quibus perniciose plerunque erratur, distinctius tractari explicarique merentur. Igitur providendum est novo

(a) *Cap.* 14.

novo principi, ut subacti nuper populi, aut nolint excutere recens imperium, aut nequeant. Quod ad primum attinet, certum est, liberis populis, & unius dominationem nunquam expertis animam prius quam libertatis memoriam evelli. Vnde Macchiavellus *(a)* præter ruinam. & dissipationem civium nullum esse securum retinendæ liberæ civitatis modum asserit. Mitius alii humaniusque adhibuere remedium; transferendo reipubl. potestatem à plebe ad optimates. quomodo Tiberius è Campo comitia ad patres transtulit *(b)*: & Artabanus Parthorum Rex in urbe Seleucia plebem primoribus tradidit, ex suo usu. Nam populi imperium juxta libertatem; paucorum dominatio regiæ libidini propior *(c)*. Lysander Spartanorum Imperat. fractis Atheniensium viribus, ejectis ex omnibus civitatibus, qui rebus Atheniensium studuissent, decem delegit in unaquaque civitate, quibus summum imperium potestatemque omnium rerum committeret. Horum in numero nemo admittebatur, nisi qui aut ejus hospitio contineretur, aut se illius fore proprium

(a) *Princ. c.* 5. (b) *Tac.* 1. *annal.* 15.
(c) *Tac.* 6. *annal.* 42.

fide confirmarat. Ita decemvirali potestate in omnibus urbibus constituta, ipsius nutu omnia gerebantur (a). Eodem consilio superiori seculo Carolus V. Imp. Augustam Vindelicorum (b) aliasque Germaniæ liberas civitates (c) sibi asseruit; traducta ab opificum collegiis ad patricios republica. Cosmus Medices occupatis Caroli Cæsaris auspicio Senis, reip. à plebe ad xx. viros transtulit; quos Gallico nomini quam maxime infensos noverat (d). Ludovicus Mediolani Dux suspectum habens leve populi Florentini & inconstans ingenium, Io. Medicem cum fratre illius cervicibus imponere voluit (e). Leo X. tunc Cardinalis, occupata Florentia, à qua ipse cum optimatum factione exularat, omnem potentiam populo ablatam in L. viros suarum partium transcripsit (f). Clemens VII. Pontifex turbulentum Senensium & in factiones pronum ingenium Fabio Petrucio civitati imposito coherceri posse autumabat (g). Ludovicus XII. Galliæ Rex remp. Genuensem plebi mandatam populari seditione amisit (h). Nupera in Anglia & Scotia

(a) *Corn. Nepos Lysandr.* (b) *Io. Bapt. Hadr. 7. hist.* (c) *Thuan.* (d) *Hadrian. 13. histor.* (e) *Guicciard. 4. hist.* (f) *Guicciard. 11. hist.* (g) *Guicc. 15.* (h) *Guicc. 7.*

Scotia (quidni rebuspubl. connumerem regna libertati proxima?) certamina, quorum exitum adhuc fata in obscuro tenent, de restituendis pellendisve episcopis, religionis prætextu status publici arcana tangebant. Nam servari episcopos à rege promotos, & quorum in regni comitiis maxima erat auctoritas, ideoque regiæ potestatis propugnatores ac instrumenta, regis maxime intererat. Ecclesiam lecto ex plebe & ministris collegio, quod presbyterium appellant, regi, populari libertati aptius erat. Vt non mirum sit, hinc Rege pro dominatione, inde populo pro libertate nitente, rem in funestum bellum, & quæ alia bello atrociora sunt, exarsisse. In Germania Imperatorium arcanum est, VII. virorum Electorum collegio insignes præ cæteris principibus prærogativas tribuere; pleraque negociorum cæteris adempta his solis proponere, cum his solis consultare, rerumque maximarum momenta transigere: & in hunc finem raro Imperii totius, sæpius Electorum comitia indicere.

Verum enimvero uti legitimi Principes plerunque paucis ex Nobilitate vel Optimatibus instrumentis potentiæ utuntur: ita qui ex privatis civitatum suarum domi-

nationem affectant, contra optimates plebem fovere solent. Cujus diversitatis ea ratio est, quod optimates opibus & honoribus, præfecturis atque administrationibus, aliisque præmiis illecti, facile principi accedunt: cui facilius est paucos quam omnes obligare. At tyranni nobilium præcipue spiritus aversos habent. unde in plebem vertere studia necesse est; satis gnaris, plus in primatibus irarum, minus virium: vulgus confusione, & tumultu, non consilio, non ratione, tantum arbitrio domini impelli: & annona, pace, præsentibus contentum, futuri negligens, mutationum causas minime exigere. His artibus C. Cæsar Dictator *(a)* & Augustus *(b)* Romæ, Nabis Lacedæmone, *(c)* Dumnorix apud Heduos *(d)* Cosmus Medices Florentiæ, *(e)* Azolinus Patavii, *(f)* Passerinus *(g)* & postea Ludovicus Gonzaga *(h)* Mantuæ, & Pandolfus Petrucius Senis *(i)* dominationem in volentem plebem, & frustra obnitentem nobilitatem, arripuerunt.

Inter-

(a) *Sueton.* (b) *Sueton. Dio Cass Tacit.* (c) *Liv.* (d) *Cæsar. 1. Comment. de bello Gall.* (e) *Ioan. Bapt. Hadr. Io. Bapt. Cin. v. Forstn. Not. ad lib. 1. annal.* (f) *Iac. Cavac. lib. 3. hist. Cœnob. S. Iustin.* (g) *Possevin. 3. hist. Mant.* (h) *Possevin. 4. hist. Mant.* (i) *Paul. Iov. Elog. lib.*

Interdum non in republ. tantum, ſed & in regno quoque contra tumidam, contumacem, & plus quam civilia agitantem Nobilitatem plebs neceſſario fovenda eſt. Quod in regno Neapolitano Hiſpaniæ Regem feciſſe olim, hodieque facere novimus: In Luſitania non feciſſe, nuper Bragantiæ Duci rapiendæ regni illius coronæ occaſionem præbuit: in Catalania poſt Nobilium oppreſſionem etiam tributorum acerbitate & militum hoſpitio in rabiem egiſſe, capitalis Comitis Olivarezii imprudentia fuit. Contrario plane & ſane meliori conſilio Galli nuperrime in eadem Catalania optimatum ſtatum cum populari miſcuerunt: qua egregia arte plebem ſibi devinxerunt contra turbulentas nobilium machinationes: quorum magna pars honorum, præmiorumque, quibus extra patriam Hiſpaniæ Regis beneficio gaudebant; cupidine, inſolentis præterea plebis faſtidio, Aulam Madritenſem & vetus obſequium reſpiciebant. Pars hujus conſilii erat, quod Ludovicus Rex Ludovicum Roccafortium, ex primaria Catalanorum nobilitate provinciæ præpoſuerat; captandæ benevolentiæ; & indelebili odio ob fratrem ſuſpendio necatum, Hiſpanis infenſum; caput præterea ducemque Micheletorum:

torum: quo nomine inſignes fama & facinoribus prædones appellantur, qui inſeſſis Catalaniæ clauſtris, perpetuis damnis Hiſpanos exercent. (a)

Et hæc de liberis populis, & qui plebis aut paucorum imperio regebantur, in officio à novo principe retinendis ſufficiunt. At aſſuetis unius Imperio populis, & quibus incognita libertas eſt, domini mutatio facile toleratur. Et iſto caſu omnis in eo ſita prudentia eſt, ut ſub novo principe melius ſibi eſſe intelligant ſubditi, quam ſub priori (b). Quo pertinet, quod Tacitus (c) monet, clementiam novum imperium inchoantibus utilem eſſe: & alibi (d): quædam ex prioribus tributis diminuta, quo mitius imperium ſperaretur. Nullis incantamentis magis miteſcunt populi, quam annonæ abundantia, pacis cura, & juſtitiæ incorrupta adminiſtratione. Etiam liberalitate & munificentia, ſi modus & prudentia adſit, novi principes benevolentiam efficaciſſime ſibi conciliant; honoribus quoque & dignitatibus, quæcunque devictis tuto conferri poſſunt. Carolus Magnus Imp. Saxonum indomitum ingenium

(a) *v. Victor. Sir. hiſt. tom. 2. lib. 3. pag.* 118.
(b) *Quod Itali appellant* intereſſar i ſudditi nel nuovo governo. (c) 4.*Hiſt.*63. (d) 2.*Annal.*56.

nium religione & episcopatibus institutis fregit. Scholis etiam atque juventutis educationi hic locus suus est. à nemine enim quam à magistris. & verbi divini praeconibus homines reverentiam principis & obsequium fidelius discunt. Connubiis quoque veteres novosque cives jungere aptissimum caritatis vinculum est: quo in unam gentem, & eosdem mores coeant, utroque olim disjuncti. Romani linguae Latinae usum subjectis injungere solebant. (*a*) Tyrannicum est, laxa disciplina, & morum solutione, luxuque intercipere atque corrumpere bellicam, & ignavo saevove principi suspectam virtutem. (*b*) Denique plurimum ad stabilimentum novi principatus valet, Principis praesentia: quae venerationem quandam subditis imprimit; & improbas molitiones vel praevenit, vel disjicit: Aulae quoq; laciniosus diffususque in multa impendia paratus plerosque tenuiorum civium ordines pascit, nutrit, ditat. Pleraque illorum, quae diximus, complexus est Tacitus in Cn. Agricolae soceri sui vita. Doctus, *inquit*, per aliena experimenta

(a) *v Forst. Not. ad* 1. *annal. verb.* pleraque Latino sermone, *&c.*

(b) *v. Forstn. Not. ad* 1. *annal. verb.* neque ipse abhorrebat talib. studiis.

rimenta, parum profici armis, si injuriæ sequerentur, causas bellorum statuit exscindere. à se suisque orsus, primum domum suam cohercuit, quod plerisque haut minus arduum est, quam provinciam regere. nihil per libertos servosque publicæ rei: non studiis privatis, nec ex commendatione aut precibus centurionum milites ascire, sed optimum quemque fidelissimum putare: omnia scire, non omnia exequi: parvis peccatis veniam, magnis severitatem commodare: nec pœna semper, sed sæpius pœnitentia contentus esse: officiis & administrationibus potius non peccaturos præficere, quam damnare cum peccassent: frumenti & tributorum auctionem æqualitate munerum mollire; circumcisis, quæ in quæstum reperta, ipso tributo gravius tolerabantur. namque per ludibrium assidere clausis horreis, & emere ultro frumenta, ac vendere pretio cogebantur. devortia itinerum & longinquitas regionum indicebatur, ut civitates à proximis hybernis in remota & avia deferrent, donec quod omnibus in promptu erat, paucis lucrosum fieret, &c. Sequens hyems saluberrimis consiliis absumpta. namque ut homines dispersi ac rudes eoque bello faciles, quieti & otio per voluptates

ptates assuescerent; hortari privatim, adjuvare publice, ut templa, fora, domus extruerent; laudando promptos, & castigando segnes. ita honoris æmulatio pro necessitate erat. Iam vero principum filios liberalibus artibus erudire, & ingenia Britannorum studiis Gallorum anteferre: ut qui modo linguam Romanam abnuebant, eloquentiam concupiscerent. Inde etiam habitus nostri honor, & frequens toga: paulatimque discessum ad delinimenta vitiorum, porticus, & balnea, & conviviorum elegantiam: idque apud imperitos humanitas vocabatur, cum pars servitutis esset, &c.

Secundi generis cautiones, quæ in reluctantes, & ni cohibeantur, excussuros jugum valeant, sunt arma, munimenta, præsidia, coloniæ. Romani habebant instrumenta servitutis & reges. De singulis alibi dixi, & dicam, ubi occasio invitaverit. Coloniarum, quæ ad hunc proprie locum pertinent, institutum, uti summæ utilitatis omnes commendant, qui artes civilis scriptis tradiderunt; Nicolaus Macchiavellus, (*a*) Iustus Lipsius, primo de magnitudine Romana, (*b*) Carolus Sigonius secundo

(a) *Princ. cap.* 3. (b) *cap.* 6.

do de antiquo jure Italiæ (*a*), Io. Boterus sexto & octavo politicorum, Chr. Besoldus libro de incrementis imperiorum, & nuperrime Henricus Dux Rohanus in libro de bello (*b*). Variam utilitatem ad ista capita revocare licet. Vrbs ipsa princeps, unde coloniæ deducebantur, superfluam, & plerunque inopem, ideoque turbidam plebem, sentinam & fæcem populi, ut noxium sanguinem, emittebat. Vnde victus facilior, & rariores turbæ. Altera, quod coloni frequentabant, colebant, poliebant artibus loca, quo deducti erant. Tertia, quod continebant populos, quibus mixti degebant. Quarta, etiam finitimos, hostes, aut suspectos. Quo sensu Cicero (*c*) ait, Romanos idoneis locis colonias contra suspicionem periculi collocasse, ut non oppida Italiæ, sed propugnacula imperii esse viderentur. Et alibi (*d*) Narbonem Marcium speculam populi Romani & propugnaculum Gallis oppositum dixit. Quinta utilitas, quod isto modo milites veterani & emeriti præmiis afficiebantur. Nam agri sedes & honores dabantur; etiam pecunia ad instrumenta, jumenta & cæteras fundi necessitates.

Novi

(a) *Cap.* 2. (b) *Cap.* 20. (c) *Agrar. secund.* (d) *Orat. pro M. Fontejo.*

Novi principatus retinendi præcepta Macchiavellus quoque (*a*) tradidit; bona, mala, proba, improba, quædam ambigua, Ista variis distinctionum labyrinthis implexa, apposito schemate explicare operæ pretium duxi. Illum virum, ob summum ingenii acumen, & exactam civilium rerum peritiam, ego olim magni æstimavi. At postquam in homine Numinis irreverentiam, religionis contemptum, & cum summa civilis disciplinæ peritia summam sacrarum rerum ignorantiam, & profanam immortalitatis, quam Christiani post depositas mortales exuvias speramus, incuriam; denique audacibus, præcipitibus, sceleratis, quæque alia regno conducunt, idem atque honestis consultis pretium animadverti: profecto non modo multum mihi de pristina hominis æstimatione decessit: sed & haut secus ac cum homine à meo genio, moribusque alienissimo, cum sicario, cum insidiatore, cum veneficio, cum fera denique & noxia bestia, ingrata quidem, sed necessaria conversatione utor. Nimirum quod Sanctissimus Apostolus *Paulus* dixit (*b*) eos, qui prava divitiarum cupiditate tenētur incidere in tentationes, & la-

(*a*) *Princ. à cap. 2. usque ad* 11. (b) 1. *Timoth.* 6.

& laqueum, & desideria stulta ac noxia, quæ demergunt homines in exitium: & quod ipse Servator ac Dominus noster, IESVS CHRISTVS (a); difficilimum esse divitem regno cœlorum potiri: idem de ambitione, & de potentiæ cupidine longe verissimum est. Tranquillo regno frui possunt, neque subsidiaria scelerum cohorte, aut Macchiavelli sapientia indigent, qui, successione majorum aut suffragiis electi volentibus imperant. At qui legitima potentia non contenti, olim statutos terminos movere, majorum suave pacta abrumpere, privilegia subditorum, tanquam regiæ libidini contraria, everrere; bella, tributa pro libitu; custodiam militarem, arces, præsidia, metum denique quam amorem civium, tutiora imperii munimenta credunt: ii sane vim vi tueri, & injuriam injuria, Deo & hominibus invisi necesse habent.

CAP.

(a) *Matth.* 19. *Marc.* 10. *Luc.* 18.

CAP. XXXIII.

Q*Uem multa ambigua, multa prospera extulerant*] Vide Mea ad primum annal. (*a*)

CAP. XXXVI.

V*T ferme intuta sunt adversa*] Vide quæ supra eodem libro dicta. (*b*)

At non Caractacus *aut vultu demisso, aut verbis misericordiam requirens*] Qualis ille Pompejanarum partium dux apud Lucanum Poëtam: (*c*)

Victoris stetit ante pedes. servata precanti
Majestas, non fracta malis: interque priorem
Fortunam, casusque novos gerit omnia victi
Sed ducis; & veniam securo pectore poscit.

CAP. XXXVII.

N*Eque dedignatus esses pluribus gentibus imperitantem fœdere pacis accipere*] Quid agendum Principi qui à potentiori armis appetitur, tractabo ad decimum quintum. (*d*)

In hunc modum locutus est] Similem huic orationem Nicolao Piccinino à Florentinis

(a) *Verb.* Quadragesimum id stipendium &c.
(b) *Cap.* 14. (c) *Lib.* 4 (d) *Cap.* 29.

nis ditione exuto attribuit Macchiavellus fine v. historiæ Florentinæ.

Æternum exemplar Clementiæ] Locus relatus supra ad hunc librum. (*a*)

CAP. XXXVIII.

P*Rosperis ad id rebus ejus, mox ambiguis*] Quod de principibus pridem notavi, cum ætate senescere fortunam (*b*): idem de belli ducibus observare licet. Caroli V. gloriæ in Mediomatricibus funus ductum fuit. Nuper Mauritius Nassovius, Belgarum federatorum Imperator ille fortis & cautus, & perpetuo felix, concepto ex Bredæ infausta obsidione (quæ illi extrema expeditio fuit) mœrore extinctus fertur. (*c*) Ioannem Bannerium, & Ottonem Ludovicum Rhenigravium, illa duo Iovis Suecici fulmina ad extremum fortuna destituit. Ambrosius Spinola obsidioni Casalensi mente quoque captus immortuus est.

CAP.

(a) *Cap.* 15. (b) *Vide Maximum Heinsium histor. Sylvæduc. lib.* 1.

CAP. XXXIX.

VT *quondam Sugambri excisi, & in Gallias trajecti forent, ita Silurum nomen penitus extinguendum*] Explicavimus paulò ante novi principatus gerendi rationes, commodas, mites, humanas, & quæ subditorum commodis æque atque principis securitati consulant. Sunt aliæ immites, asperæ, sævæ, & quæ cum omnium excidio unius salutem procurant. Has tyrannos pravâ injustæ dominationis libidine; necessitate & pro salute interdum bonos principes usurpare comperimus; excusatiùs hos, quàm illos, apud homines. nescio an apud Deum? & an tanti sit, imperare? Nobis noscere ista & cavere sufficit; annotare quoque, sine laude, sine vituperio: quorum rationes ambiguæ plerumque & obscuræ Deum justissimum olim judicem habebunt. Neque enim hujus vitæ secundi adversique successus propitii vel irati Numinis satis idoneum firmumque argumentum sunt. *Guilielmus Normanniæ Dux* Angliæ regnum Haraldo prædecessori in acie cæso abstulit. Dominandi cupiditatem bello causam fuisse, hominis mores priores regnô, &

posteriores comprobaverunt. at Haraldi injuriæ tanquam necessariæ ultioni prætextum præbuerunt. Regnum armis occupatum per vim tenuit. Deposito Stiganto Cantuariensi Episcopo, qui contumaciâ offenderat, obsides à proceribus regni accepit. Senatum domi ex Normannis constituit. Inde loca omnia munire, & præsidiis firmare, maritimam oram classe tueri instituit: quatuor maximè arcibus diversis in locis constructis: queis veluti compedibus cuncti ab omni rerum novandarum studio continerentur. Ut ferociam populi otio mutaret, arma omnibus ademit. Conspirationibus appetitus, vindictæ simul ac securitati, illarum au. thores supplicio affecit: reliquos aut perpetuis carceribus addixit, aut naso manibusque truncatos ostentui vivere jussit. Alios in exilium egit, bonis fisco adjudicatis. Statuit præterea, ut quisque paterfamilias, nocte ingruente, tecto cineribus igne, cubitum iret. Civitates, oppida, cœnobia, episcopatus immunitatibus exuit, quò cariùs easdem à se redimerent. Postremò ne quicquam non reip. tantùm, sed nec privati juris dominiivè restaret, omnium prædiorum solum se dominum professus, ea vel Normannis

ſuis diſtribuebat, vel impoſito, quod quotannis penderetur, vectigali, antiquis poſſeſſoribus reddebat. Leges tulit, ex uſu principis, incommodas populo; Normannicâ linguâ ſcriptas: quas neque Galli, neque Angli ſatis intelligerent. Tributa ſub variis aucupandi vocabulis aſperrimè exegit; inter alia pro ſingulis boum jugis ſenos Anglicos ſolidos: & in ſingula jugera terræ, quæ hydas Angli vocant, tantundem. Non contentus fugâ illorum, qui procul Normannorum ſævitiâ in aliquo ſecreto vitam degere volebant; eos bello extinxit, vel retraxit. Cultiſſimam inſulæ partem, triginta mille paſſus complexam, quò tutus ex Normanniâ appulſus erat, in luſtra ferarum redegit, complanatis paſſim templis, domibus, ejectis colonis, & ſublato omni humani conſortii veſtigio. Venatione ferarum omnibus promiſcuè interdixit. (a) Iſtâ morum diritate tyranni nomen meruit Guilielmus, princeps alioqui animi magnitudine, rei militaris peritiâ, civili prudentiâ, etiam externo pietatis ac templorum cultu, & perpetuâ felicitate inſignis. Sunt qui immitem animum in ſubditorum contuma-

(a) *Polyd. Virgil. 9. hiſt. Angl.*

ciam, & rebellionum frequentiam referant: (a) quæ plerunque etiam bonos principes efferare ſolent. Propitiori famâ haut pauca ex ſuperioribus uſurpavit Henricus VII. Angliæ Rex; ideò, credo, quòd ſeveritatem clementiâ ut plurimum temperabat. Is quoque interfecto in prœlio prædeceſſore Richardo ad regnum pervenit. Quo titulo magis gloriabatur, quàm nuptiis cum Elizabetha Eduardi Regis filiâ contractis: cujus prærogativæ adeò negligens erat, ut reginam non niſi biennio pòſt coronari permiſerit. Londinum poſt victoriam incruento itinere, & modeſto cum exercitu acceſſit. Quinquaginta corporis cuſtodes ſibi legit, non tanquam diffideret, in tempus aliquod, ſed velut pro regio decore perpetuos. Primo regni comitio procerum ſuffragiis hoſtium præcipuos condemnavit, ærario ex damnatorum bonis mirè locupletato. De cæterorum abſolutione aut veniâ in Senatu tractari noluit; ſibi gratiæ obligationem reſervans. Reſtituit quoque qui ſub Richardi regno exulabant. Et quanquam auri totâ vitâ cupidiſſimus, cujus ingentem copiam moriens reliquit; tamen (quæ plerunque potiſſima conventuum

(a) *Vid. Boccalin. cent. 2. cap.* 33.

tuum iſtiuſmodi materia eſt) nulla à populo iſto quidem in concilio tributa oravit; confiſcationibus contentus: quarum tamen famam ut minueret, à civibus Londinenſibus mutuam pecuniam ſumpſit. Epiſcopos Elienſem & Exceſtrenſem, homines fidos ſibi, & ſecreti retinentiſſimos adſcivit; ſibi conſilium, & cæteris cuſtodes. Inde Provincias ſuſpectæ fidei adire, firmare ſuos, terrere adverſarios, & ubique materiem ſceleri detrahere. Prudentiæ Regis etiam fortuna famulata eſt; filio ſecundo regni anno nato; quò novi principatus firmitas continebatur. Iſtis conſiliis, & hac felicitate rex ſatis ſibi providiſſe in futurum videbatur, ne quæ turbæ tranquillitatem publicam læderent. Sed præter ingenium regni per vim & arma quæſiti, etiam avaritiâ plebem æquè ac proceres Rex offendebat. Nimis quoque aperta odii profeſſio erat in domum & factionem Eboracenſem: quæ injurias & cupidinem ultionis verita, ex adverſo in regem conſilia ſtruebat, quibus ſe ſuoſque tueretur. Et cuncta Regis dicta factaque obſcura, tecta, incerta ſuſpiciones magis quàm ſecuritatem animis hominum afferebant. Igitur Lovelli, & fratrum Staffordiorum ſeceſſione primum cognovit, ſe

non amari. Sed facilè fuit nondum adultam conjurationem opprimere. Suffecerunt pars copiarum, & pro machinis bellicis fecialium vox, veniam redeuntibus ad obſequium promittentium. Lovellus à ſuis derelictus in Belgium profugit. Staffordiorum alter ſecuri percuſſus, alter veniâ donatus ſeveritatis æquè ac clementiæ exemplum fuêre. Succeſſit alter Herculi noſtro labor, piſtoris filius, Lambertus Simnellus, pro Eduardo Plantageneta Comite Varvicenſi, Ducis Clarentiæ filio, Eduardi Regii ex fratre nepote (qui quod magis mirêre, tum in vivis Turri Londinenſi attinebatur) in ſcenam productus. Augebat periculum, quod fabulæ favebant Hyberni, & in ipſa Anglia Lincolniæ Comes, ipſe quoque regii ſanguinis, & ipſa Elizabethæ reginæ mater,& in Belgio Margaritha Caroli Audacis Burgundiæ Ducis Vidua, virili audaciâ, & femineâ malitiâ Henrico, quod Herculi aut Æneæ Juno, futura. Tot monſtra prudentiâ magis quàm vi Rex domuit. Initium à ſocru factum, quam fraudis architectam monaſterio incluſit, ademptis omnibus facultatibus. Verum Eduardum è carcere productum per urbis itinera, & templa populo oſtentavit, quò famam in carcere ſtrangulati

gulati (nam & id à quibusdam credebatur) & pistoris fallaciam simul refelleret. Secuta gratiæ veniæque oblatio, cunctis qui ad regem redirent. Provisum prætereа in omnibus portubus, ne rebellibus, in Hyberniam vel Belgium elabendi, indeque turbandi commoditas esset. Neque tamen animo collapsi perduelles, cum exercitu Provinciam Eboracensem, quam regiæ causæ iniquam sibi accessuram arbitrabantur, ingressi sunt. Sed fama virtutis & felicitatis, Eboracenses in partibus Regis tenuit. Ergò ad prœlium res devenit: quò victor Henricus, ferocissimi cæsi, Pseudo-Eduardus ipse captus fuit. Rebellium captivorum, aut qui ex pugnâ elapsi superfuerant, paucos Rex vitâ, plures numis multavit. Pistori Eduardo vitam concessit, non tam ut famam clementiæ captaret, quàm ut vivus fraudium testis documento populis esset, ne similibus fucis dolisque animum fidemque accommodarent. Ergò vilissimis culinæ ministeriis addictum, elapsis aliquot annis inter falconum regiorum curatores adlegit. Exercuit postea Regem Eboracensium rebellio, ob tributa Provinciæ extra ordinem indicta. Sed illa facili negocio sopita, ductis in contumaces copiis,

 capto,

capto, & ſuſpendio necato duce, ac reliquis veniâ pacatis. Quartum agonem Henrico paravit eadem, quæ ex piſtoris filio formaverat Eduardum, Comitem Varvicenſem, Margaritha Burgundiæ Ducis vidua; ſubornato inſtructoque Petro quodam Hebræi baptizati filio, qui ſe Richardum Ducem Eboracenſem, Eduardi IV. Regis filium ferebat. Quanquam autem Richardum cum fratre à Richardo tyranno in turri Londinenſi ſtrangulatum etiam illius, qui juſſu tyranni facinus patraverat, teſtimonio conſtare poterat; tamen quæ ex piſtoribus Comites, ex recutitis Duces in ſpem regni faceret, ei quoque mortuos reſuſcitare ſuo jure licebat. Mirum dictu! fabulam tam abſurdam, tamque nihil veriſimile habentem præter Margaritam, Galliæ quoque ac Scotiæ Reges ornarunt, & pro ſe quiſque conſilio, authoritate, opibus inſtruxerunt. In ipſa quoque Angliâ præcipui procerum publicè vel in occulto favebant, plerique decepti, falſique, quidam & fallentes. Gallum tamen (is Carolus VIII. erat) Henricus pace atque fœdere, ad deſerendam malam cauſam obſtrinxit. Inde quò ſcrupulus omnis hominibus eximeretur, quæſtiones inſtituit ex iis, qui Richardum, quem ſe planus iſte credi

credi volebat, in carcere necaverant: qui genus mortis & locum ſepulturæ quoque edebant. Miſſi præterea in Belgium, & aliò, qui de genere, nomine, patria, peregrinationibus, conſiliis, ſpe metuque Petri commentarios facerent: alii, qui ſimulatâ conſcientiâ adirent, fidem atque pericula pollicerentur: alii, qui apud præcipuos Petri conſiliarios atque adjutores periculoſam audaciam, conatus infamiam, viliſſimi nebulonis perditam cauſam, viciſſim ſapientiſſimi regis haut minùs formidandam vigilantiam quàm potentiam, denique pœnitentibus veniam & præteritorum abolitionem ſecretis ſermonibus inſinuarent. Et quò exploratoribus iſtis Rex majorem apud hoſtes fidem, omni ſuſpicione demptâ, conciliaret; in maximo Londini templo diris devotos perpetuo exilio, & omnium bonorum confiſcatione mulctabat. Ita nihil Henrico incognitum erat. Conſilia hoſtium, locos, prompta, occulta noverat; Præcipuum in eo momentum fuit, quòd Robertum Cliffordum, factionis columen ad ſuas partes traduxit: à quo deinde omnem ludicræ hujus ſcenæ apparatum penitiſſimè didicit. Inde ſeveritas regis ad illos tranſiit, quos in ſuo regno cum impoſtore vetita miſcuiſſe

compererat; puniendo ſceleri: & minuendæ ſpei; quam Petrus majorem in ſociis conſilii Anglis, quàm adjutoribus Belgis habebat. Capti plerique procerum. Multi capite levitatem animi, & ſceleris ſocietatem luerunt: è quibus Guilielmus Stanlejus, Cubiculi regii Magiſter fuit, reliquis venia data. Ne quid in Hybernia turbaretur, miſſi duces cum expedito milite, quibus ipſe Gubernator parere jubebatur. Capti in provincia Kentenſi, quo Petrus cum paucis navibus appulerat, omnes ſuſpendio necati. Longum eſſet, cætera perſequi; iteratam rebellionem Cornubiorum: primam ob tributa: alteram Petri cauſæ innexam; fugam Comitis Suffolcii ex regno: pugnam ad Londinum: qua bis mille Cornubii cæſi, XIV CIↃ capti, duces capite truncati, aut patibulo affixi; omnes captivorum facultates capientibus addictæ. Secuta eſt alia pugna; quâ fugatus Petrus, inde aſylo, in quod confugerat, extractus, dein turri Londinenſi clauſus; cum fugam moliretur tandem longa litera factus finem longæ fabulæ fecit. *(a)*

CAP.

(a) *Polydor. Virgil. 26. hiſt. Anglic. Fr. Bacon. hiſt. Henr.* VII. *His jungenda ſunt, quæ aliàs de ſeditionum rebellionumque compeſcendarum rationibus commentatus ſum.*

CAP. XL.

ATque illo augente audita, ut major laus compositis, vel, si duravissent, venia justior tribueretur] Prudenter. Nemo enim fortunam in manu habet. Nemo igitur in se recipere debet, quæ ex incertis eventibus pendent. Quod illi bellorum duces faciunt, qui à dominis tot millia militum, tantum argenti, tantum tormentorum, instrumentique bellici flagitantes, definiti temporis spacio victorias finemque belli improvide promittunt.

Didius senectâ gravis, & multa copia honorum per ministros agere.] Juvenili sanguini & ardori convenit lętari ancipitibus, occurrere periculis, in acie & prœlio & in hominum oculis perpetuo versari, famam acquirere, & præclaris factis augere. At senectute graves, & multa copiâ honorum è cubiculo & lectulo iubere, quod opus sit, & per ministros agere suo jure possunt.

CAP. XLI.

ADditum ejus nomine donativum] Nota. ludi, congiarium, donativum acquirendis populi studiis. (*a*)

I 6 Remoti

(a) *V. Lipsium* 2. *de magn. Rom. c.* 10. *& seqq.*

Remoti fictis causis, & alii per speciem honoris] Istud flagitiosum sophisma alibi (a) à me notatum fuit. Hic novercales Agrippinæ artes observandæ, quibus Neronem ad studia populi & militum produxit. Virilis toga maturata: princeps juventutis appellatus: additum ejus nomine, militi donativum, congiarium plebi. Ludis Britannicus puerili habitu, Nero triumphalium veste & decore imperatorio transvectus. Remoti, qui Britannici sortem miserabantur, & incorruptâ in eum fide erant; ac custodiæ ejus à noverca dati impositi. Prætorianas cohortes suas fecit, præside à se dato, gnaro, cujus sponte præficeretur. Suum ubique fastigium extollebat, usurpatis contra morem, quæcunque feminæ venerationem augere poterant. Et ne in urbe tantum potentia ejus nosceretur, in Ubios deductâ coloniâ, Agrippinæ nomine ad nostram usq; ætatem celebrata.

Pravitas tam infensa docentium] Multum refert, quid à quo quis doceatur. Principis igitur interest & reipub. quomodo juvenes erudiantur. Joannem Andream Lampugnanum, Carolum Vicecomitem, & Hieronymum Olgiatum ad conspirationem contra Galeatium Mediolani

(a) *Ad 2. Annal. p. 231.*

lani Ducem impulit Nicolaus Mantuanus latinas literas nobiles adoleſcentes Mediolani docens. Hiſtoriam recitat Macchiavellus ſeptimo Hiſtoriæ Florentinæ.

Datoſque à noverca cuſtodiæ ejus imponit] Non erat in carcere Britannicus; erat tamen plus quam captivus. Non igitur abſonum fuerit, annotare hic cautiones cuſtodiendis magnis hominibus neceſſarias. Eæ ſunt; eligere loca commeantibus infrequentia; cubicula clathris undique ferrata: minimum libertatis captivis permittere; deambulationes rarò; equum & venationém nunquam: removere qui corporis curæ familiariter adeſſe adſueverunt, & ſubſtituere alios ignotos: explorare & excutere, quæcunque carceri inferuntur, etiam cibos: ne aliis cum rebus ferramenta rumpendis ferris; funes aliaque fugæ inſtrumenta apportentur: mutare ſæpius cuſtodes, ne ulla corrumpendi veteres occaſio ſuppetat. Carolo Birono in *Baſtilia* detento cultelli ſine cuſpide, & cuſtodes nullo cincti gladio dati: ne indomitæ ferociæ homo per ipſam ſuorum cuſtodum ſtragem è carcere erumperet. (*a*) Fuerunt, qui fugam captivis ſuaderent, ut

(a) *d'Aubigné. tom.* 3. *hiſt. lib.* 5.

ut inde retractos morte, aut magno infortunio afficerent. Quomodo Sejanus subornabat, qui monerent Agrippinam, Germanici viduam, & Neronem filium, perfugere ad Germaniæ exercitus, vel celeberrimo foro effigiem Divi Augusti amplecti, populumque ac Senatum auxilio vocare. Eaque spreta ab illis, velut pararent, objiciebantur. (a) Similia superioribus annis de Armando Cardinali Richelio vulgabantur; Gastoni regis fratri & amicis infensum ambitionem & turbida consilia clam objecisse; atque, ut horum regi fidem faceret, per Josephum Capucinum, & Arnoldum Andillium benevolentiæ obtentu incitasse Gastonem, honores, in Consilio regio locum, exercitus ducatum peteret. quibus artibus inductum regem Chalesium, Ornanum, præcipuos fratris ministros carcere, dein morte puniisse. Fratri quoque regio fugam ex regno persuasam. Fama quoque ferebat, Mariam, reginam matrem dum Compendii regis jussu attineretur, fraudulentis Mareschalli Estræi & Marchionis Vardesii officiis ad fugam è regno impulsam. (b)

CAP.

(a) *Tacit.* 4. *annal.* 68. (b) *Octav. Sir. tom.* 2. *hist. lib.* 3.

CAP. XLII.

DIstrahi cohortes, ambitu duorum: & si ab uno regerentur, intentiorem fore disciplinam] Falsum! Rex unicus esto. at à rege secundam potentiam addito collegã cohercere tutius est. Præfecto prætorio similis est in Gallia Conestabilis potestas. Ea principibus sæpè exitiosa, tandem sublata fuit.

Quam imperatore genitam, sororem ejus qui rerum potitus sit, & conjugem & matrem fuisse, unicum ad hunc diem exemplum est] Haud ita pridem Margaritha Valesia rege genita; regum soror, regis uxor fuit. matris nomen impudici mores negaverunt.

CAP. XLIII.

FRugum quoque egestas, & orta ex eo fames &c.] Rem maximæ utilitatis hic tradam; difficilis annonæ curam & remedia. Immitti frugum egestatem, famemque à justissimo Deo castigandis mortalium peccatis sacris literis (a) docemur. Cui consequens est, primum ac præcipuum principum simul ac populi studium in eo poni debere, ut Numinis indignationem

(a) *Hierem.* 24. v. *fin. Deut.* 28. v. 53.

nem admissorum pœnitentiâ, precibus in publico & privato factis, jejuniis præterea, & piis operibus, quas sanctissimo instituto Misericordiæ appellant, placent. Quo facto facilimum Deo est, vel subitâ ubertate sterilitatem corrigere, vel paucissimis panis fragmentis eam virtutem indere, quâ plura esurientium millia saturentur. (a) Concionatoribus quoque, & Ministris incumbit, egenis patientiam, mediocribus abstinentiam ac parsimoniam, opulentis liberalitatem & beneficentiam suadere. Post Dei Optimi Maximi providam humani generis curam, proxima vitæ sustentandæ ratio in agriculturæ studio consistit: cujus neglectu deficere alimoniam, & perire fame homines necesse est. Vnde illa Taciti querela; olim ex Italiæ regionibus longinquas in provincias commeatus portatos: neque suo tempore infecunditate laboratum: Sed Africam potius & Ægyptũ (b) exerceri, navibusq; & casibus vitam populi Romani permitti. Cui similis est illa accusatio Romanorum, quam libris de re rustica præscripsit L. Columella. Agriculturæ laudes & encomia hic decantare superfluum est. fecit id nuper

(a) *Matth. 6. & 14. &c.* (b) *Tacit. 12. annal 43.*

per poſt innumeros alios elegantis & politi vir ingenii Ægydius Vandermylius initio libelli, quo ruris oblectationes cultiſſimo ſtylo deſcripſit. Satis eſt politico viro, neceſſitatem colendi agri ſcire, eamque omnibus injungendi artem, modos, præcepta tradere. Numa Rex ſuum cuique pago magiſtrum præpoſuit. Hi crebro fines pagorum obeuntes, bene maleque cul. tos agros in tabulis deſcriptos ad regem deferebant: qui laudando promptos, caſtigando ſegnes, omnes ad rem utiliſſimam omni ſtudio, & labore proſequendam excitabat. *(a)* In quem finem ſapientiſſimus VVurtembergiæ Dux Chriſtophorus in ſingulis oppidis tres aut quatuor inſpectores *(b)* conſtituit, qui ubique curarent, ut prædia, agri, vineæ, horti diligenter colerentur. Neq; excitare atque hortari ſatis eſt. juvandi ſunt conſilio, ope, ſemente, jumentis, peculio, qui de ſuo ſatis inſtructi non ſunt. Removenda, quæcunque cultui agrorum impedimento eſſe poſſunt; neque venationibus, quarum inſano ſtudio plurimi principes laborant, aliisve operis ab opere ruſtico agricolæ diſtrahendi ſunt: danda potius opera, ut ſtivæ inſudantes quam rariſſimè civitates inviſant:

(a) *Dionyſ. Halicarnaſſ.* 2. (b) *Landſtutzler.*

visant: lites, & tribunalia, procuratores & scribas non minus, quam caupones & stabularios nesciant. Quo consilio nundinarum apud veteres Romanos conventus usurpatos notum est, ut nonis tantummodo diebus urbanæ res agerentur, reliquis administrarentur rusticæ. (*a*) Plures inter Pontificios præclaros novi viros, qui immensum festorum dierum numerum ut agriculturæ, & artificiis, atque adeo reip. noxium minui optabant: & dividi sacros ac negotiosos dies: queis divina colerentur, & humana non impedirent. (*b*) Augustum Cæsarem impetus ceperat, frumentationes publicas (*c*) in perpetuum abolendi; quod earum fiduciâ agrorum cultura cessaret. (*d*) Alliciendi immunitatibus, beneficiis, qui steriles & incultos agros primum subigendi laborem sibi sumunt: ut primo triennio vel nulla omnino tributa, nullas decimas, aut exiguam saltem publico pendant. Quò pertinent Imperatorum constitutiones, (*e*) quibus cavetur, ut, qui fertilia & sterilia loca ad remp. pertinentia permissim possident, non possint fertilibus

(a) *M. Varro lib. 2 de re rust.* (b) *Tacit.* 13. *ann.* (c) *De quibus Lips. 2. de magn. Rom.* 10. (d) *Sueton. August.* (e) *Sub tit. Cod. Iustin. de omn. agr. desert.*

bus retentis, sterilia deserere: ut non possit heres scriptus ex prædiis hæreditariis fertilia retinere, abjectis sterilibus: ut prædia deserta colere volenti à peræquatoribus sine reliquorum onere addicantur, excluso veteri domino præscriptione semestri: ut canon pro inculto fundo promissus, eo ad frugem meliorem postea redacto, minime augeatur; & quæ alia pro cultura desertorum fundorum sapientissime statuta sunt. Proxima superiori cura est in horreis & granariis reponere, quibus in fertilitatem sequentium annorum corrigas: Iosephi exemplo, qui speciali Numinis revelatione septem annorum sterilitatem edoctus tantum frugum in horreis condidit, qua non ab Ægyptiis tantum, sed & à vicinis populis famem depellere potuit. (*a*) Et quia in Josephi mentionem incidimus, non omitti debet, quod de eo Philo Judæus (*b*) tradit; fruges cum manipulis condidisse, neque trituratas, neque purgatas; quatuor de causis. quarum una est, ne tam cito vitiarentur, suo tegmine nudatæ: altera, ut rusticis triturantibus fruges & eventilantibus, singulis annis renovaretur pristinæ copiæ memoria: tertia, ne iniri posset frumenti numerus, neve

(a) *Genes.* 41. (b) *Philo lib. de Ioseph.*

neve animus colonos deficeret, solicite secum reputantes, non tam, quod restaret, quam quod absumptum esset. quarta, ut & jumentis stramen paleaque in pabulum servaretur. Scipio Amiratus (a) milium & panicum, utpote corruptioni haut facile obnoxium in tenuiorum saltem alimoniam commodissime asservari ex Plinio observavit. Idem Amiratus alia recitat (b) quæ panis loco tolerandæ fami faciunt: sed quæ sicco Italico Hispanicoque cœlo quam Septentrionis frigoribus magis conveniunt. Est quoque peculiaris ad servanda in longos annos frumenta, struendorum granariorum solertia, quam post alios docet Iul. Cæsar Bulengerus, & is, quem paulo ante nominavi, Vandermylius. (d)

Tertia cautio est, non legibus tantum, sed pœnis cohercere pestilentissimum curculionum genus, dardanarios, pantapolas, pantometabolos, & seplasiarios, qui iniquissimis fraudibus, attentant, onerant, vexant, incendunt, excandefaciunt, flagellant, vastant annonam; cujus raritate lætantur, ubertate dolent. Horum dolos, fraudes, scelera, monopolia curatissimâ diligen-

(a) 12. *discours.* 3. (b) *Dictô locô.* (c) *Lib. de Vectigal. pop. Rom.* (d) *Cap.* 28.

diligentia recenset Nicolaus Montandus libro tertio Speculi Gallici : quæ si omnino reprimi non possunt, saltem eatenus cohercenda sunt, ut in foro frumentario prima emendi facultas tenuioribus civibus usque ad certam horam ; & post illos negotiatoribus permittatur. Quo pertinet Francisci Mantuæ Ducis constitutio, ne cui, quod ex agris suis non collegisset, plus quàm usui familiæ suffecturum mercari liceret. (*a*)

Quartò, cùm experientiâ comprobatum sit, avaros homines nullâ non modò legum reverentiâ, sed nec ullo suppliciorum metu, undecunque lucri spes affulget, eò per mare, per terras, per cruces & patibula vetito & audaci commercio fruges transferre solere : ideò exploratores custodesque constituendi, qui ad omnes portus, limitesque assidui legum annonariarum temeratores observent, puniendosque Magistratibus deferant. Sancta quippe severitas est, quæ paucorum sceleratorum supplicio omnium vitam conservat. Pars prudentiæ erit, Vectigalia frumenti ad exteros exportandi in immensum augere,(*b*) u,

(a) *Possevin. hist. Mant.* (b) *V. Besold. Vitæ & mort. consider. cap.* 2.

ut dispendio deterriti ab illicitâ negociatione abstineant.

Quod si istis cautionibus ob iniquitatem temporum uti non licuerit, vel illæ non profuerint: tum impendente famis & penuriæ publicæ malo ad fortiora remedia transeundum erit. Primum omnium Curatores vel Præfecti annonæ constituendi sunt, quorum munus erit, omnia procurare, quæ ad emptionem, transvectionem, & distributionem annonæ pertinent. Hoc modo olim (a) Florentiæ curatores creati, quos Magistratum Abundantiæ appellabant, cum amplissima potestate obligandi reditus publicos, bona & personas civium, & erant isti ex opulentioribus civibus, & mercaturæ deditis, qui amicitiis, opibus & fide cæteros omnes præcellebant. Hi ex Germania & Belgio, ex maris Ægæi insulis; & ab usque Africâ aunonam quærebant. (b) Proximum erit, censum inire civium, (c) ut quantum alendo populo conveniat, exacte sciri possit. Quod sanè difficile non erit, mensuram cujusque loci reputantibus. Mombeligardenses in menstruum alimentum modium

(a) *Anno* 1538. (b) *Io Bapt. Hadrian.* 2. *hist.*
(c) *Vide le Miroir des François part. ult.*

dium frumenti cuique civium attribuunt. Consultum præterea est, præmiis negociatores allicere : verbi gratiâ, ut prima navis tantum ex publico, altera aliquanto minùs, & sic deinceps reliquæ accipiant. Etiam Vectigalium immunitate donare ad tempus, & quamdiu fames urget, oportet eos, qui sine illâ id muneris pigrius obituri essent. Claudius Imp. negociatoribus certa lucra proposuit, suscepto in se damno, si cui quid per tempestates accidisset : & naves mercaturæ causa fabricantibus magna commoda constituit. *(a)* Genuenses aliquando summa annonæ difficultate pressi triremes in mare milite instructas miserunt, quæ omnia navigia frugibus onerata à cursu instituto retractas Genuam deducerent. *(b)* Sed præcipua in parsimonia & distributione industria consistit. Quibusdam æquum visum est, omne frumentum, pretio ex publico soluto, in medium conferre, & inde pistum panem viritim vendere. Anno à nato Christo cIↃ.IↃ.XXXVIII Genuæ unciatim panis distributus fuit. *(c)* Tiberius sævitiam annonæ incusante plebe, statuit frumento pretium, quod daret emptor ; binosque numos dixit de suo

(a) *Sueton. Claud.* (b) *Io. Bapt. Hadrian.* 2. *hist.* (c) *Idem.*

ſuo additurum negociatoribus in ſingulos modios. (a) Neque Civitatum tantum, ſed & ruris, eorumque qui ruri degunt, ratio habenda eſt: iiſque mutuo danda annona quæ cum aliquo fœnore reſtituatur. Illa quoque parſimoniæ non exigua pars eſt, ſi inutilia terræ pondera, validi mendicantes, quique otii ſui rationem reddere nequeunt, alio amandentur. Quomodo Auguſtus Cæſar magna ſterilitate, ac difficili remedio venalitias & laniſtarum familias, peregrinoſque omnes, exceptis medicis & præceptoribus, partemque ſervitiorum urbe expulit. (b) Quod quidem in laniſtis, & ejuſmodi ſortis hominibus reprehendi non debet: at homines nulla re, niſi egeſtate, publico graves, urbibus ejectos fame enecare à Domini noſtri Jeſu Chriſti mitiſſima philoſophia longiſſimè diſſidet. Imo alendi ſunt aliena ope, qui ſibi ipſis ſubvenire non poſſunt. Anno à noſtri Servatoris ortu cIↄ. Iↄ. L. Coſmus Medices aliquot pauperum millibus per omnes Florentinæ civitatis regiones complures menſes annonam diſtribuit: infantibus quoque, qui à parentibus egeſtate coactis derelicti fuerant, in orphanotrophia

(a) *Tacit. 2. annal.* 87. (b) *Sueton. Aug.*

trophia receptis. *(a)* Idem anno cIↃ. IↃ. LXII. repetitum; creatis officialibus, quibus à charitate nomen impositum erat. Iis ex publico pecunia assignata, quibus alimoniæ pauperum provideretur: & statâ horâ in quatuor urbis regionibus ad loca destinata confluebant, quibus panis distribueretur: quorum numerus ad viginti usque quatuor millia quotidiè ascendebat. Anno cIↃ. IↃC. XXXIV. & sequenti meo præcipue consilio cives Mombelgardenses inducti sunt, ut quotquot in civitate pauperes & egeni vel senio invalidi essent, in opulentiorum ædes distribuerentur: & quo exemplo cæteris præirem, ipse mihi tres alendos sumpsi. Aliud consilium est, famis tempore aucupia, venationes ac piscationes quæ jure gentium olim communia propria sibi hodie principes fecerunt, omnibus permittere. Denique ad mores emendandos æque atque numorum parsimoniam pertinet, ut cauponæ, lupanaria claudantur; conviviorum præterea sumtus, nuptiarum ac similium solennitatũ apparatus lege prohibeantur: & quæ alia ad leges sumptuarias pertinent. *(b)*

Nec nunc infecunditate laboratur.] Vi-

K de

(a) *Io. Bapt. Hadrian.* 8. *hist.* (b) *Idem* 17. *hist.*

de Omissa nostra ad lib. III. Annal. (*)

Sed Africam potius & Ægyptum] Vide Henric. Valesium ad Ammiani Marcellini XXVIII. (†)

CAP. XLIV.

ARmenios obtinebat opibus nostris] Quod hodie dicerent ; sub nostra protectione. & Tacitus alibi ; (*a*) qui magnitudine nostra proteguntur.

Regnum senectâ patris detineri &c.] Nota discrimen. In electivo principatu senectutem principis fovere solent filii ac propinqui ; haut ignari, illo mortuo se privatos esse : neque ex illius fortuna quicquam ad se pertinere, nisi quod eo vivo intercepeпrint. Ex quo intelligi potest, quod de Galbæ principatu Tacitus primo historiarum ait : *Servorum manus subitis avidæ, & tanquam apud senem festinantes.* Istam prudentiam nemo Pontificum Romanorum proximis, quos usitato vocabulo *Papæ Nepotes* appellant, melius novit : quibus una cura plerunque est præcipites in mortem annos patruorum, quiete, medicamentis, voluptatum delinimentis, retinere, donec,

(*) *Verb :* at hercule nemo refert. *&c.*
(†) *P.* 351. (a) 4. *Annal.* 5.

nec, quæ tempus monet, provisa fuerint. Contra in successivo regno etiam filii habere quam expectare potentiam malunt. Inde regibus etiam filii timentur. *(a)* neque enim ullis parentum senium gravius est, quam qui regnum expectant. Quod efficaci, ut solet, eloquentiâ docet Trajanus Boccalinus. *(b)* Et generaliter, suspectus regnanti est, quisquis proximus imperio destinatur. *(c)* Agilulphus Longobardorum Rex Gundoaldum affinem popularitate gratum, dum alvum levat, sagitta ex insidiis configi jussit: non diu se regnaturum arbitratus, si quem alium regnare populus maluisset. facile pro eo, qui in omnium oculis atque sinu ferretur, etiam manus aliquid ausuras. Gundoaldum regem fore, simul atque rex esse voluisset. quem vero tantilli animi esse, ut, cum possit, nolit. miserrimam regni tutelam alienam modestiam esse. *(d)* Huic consequens est, quanquam Orbitas principis plerunque contemptui obnoxia; & non legiones, non classes, perinde firma imperii munimenta sint, quam numerus liberorum; *(e)* quamvis etiam prudentiæ

K 2 haut

(a) *Comin. 8. Comment.* 13. (b) *Cent.* 1. *ragguagl.* 56. (c) *Tacit.* (d) *Andre: Brunner. Annal. Bojor.* (e) *Tacit.* 4. *hist.* 52.

haut exigua pars ſit, adoptione, teſtamento, vel aliter providere, *ne ſucceſſor in incerto ſit*, quo pravæ aliorum ſpes cohereeantur: tamen haut rarum eſſe, ut vel ipſi ſpes ſuas anteeant, quibus ſuo tempore res tranquillæ obtingere poſſent; aut in ſuſpicionem incurrant nullo crimine noxii, niſi quod ſummæ ſpei proximi, atque imperio digni habiti fuerint. Ex ſuſpicionibus mutuus metus conſurgit: ex metu utrinque munimenta, ſubſidia, pecunia, amici comparantur: aut factiones aulam dividunt, veneficiis, conſpirationibus, ſceleribus in ſe invicem graſſantes. Maxime tamen ſenes ſuſpicionibus gravem animum gerunt. Quomodo Tiberius ſecum reputabat, extremam ſibi ſenectam, & famâ magis quam vi ſtare res ſuas; *(a)* & Hadrianus Imp. omnes, de quorum imperio ipſe cogitaverat, quaſi futuros Imperatores deteſtatus eſt. (*b*) Inde illud quoque ſenibus familiare eſt, quamvis labentem ſpiritum, & manifeſtam virium defectionem per diſſimulationem occultare. Quod ille, quem modo dixi, Tiberius fecerat, quem jam corpus, jam vires, nondum diſſimulatio deſerebat. Idem animi rigor, ſermone ac vultu intentus, quæſita interdum comitate

(a) *Tacit. 6. annal.* (b) *Spartian. Hadr.*

mitate, appropinquantem vitæ finem celabat. (a) Ludovicus XI. Galliæ Rex, cum apud ferrifodinas Chinonenses in Turonibus subito morbo correptus, clausis undique fenestris, aperire easdem à quibusdam familiarium prohibitus fuisset; statim ac meliuscule habuit, omnes à quibus fenestrarum accessu retentus fuerat, loco, honoribus, aula movit: quæcunque per ipsius ægritudinem acta fuerant, denuo apud se tractari voluit; Cardinalem Baluensem, quem totos XIV. annos carcere attinuerat, liberavit: exercitum lustravit, tributa acerbissime exegit; equitandi laborem plus quam vires permitterent, sustinuit. Maciem ac deformitatem ex morbo splendidis vestibus tegebat: in delinquentes severissime animadvertebat: creabat novos præfectos, veteribus remotis: legatos in omnes orbis partes dimittebat. Ex Britannia molossos, ex regno Neapolitano equos, ex Sicilia mulas, ex Africa leones, ex Dania Alcen & Reinigeros magna pecunia comparabat; omnia ista ut vivum & sanum, & corpore ac judicio valentem omnes crederent, neve cujusquam animum quicquam novandi turbandive cupido subiret. (b)

(a) *Tac. 6. annal.* (b) *Comin.*

Suleimanus Turcarum Imperator luridi coloris vitium fuco inductoque genis purpurisso corrigere solebat, quoties exterorum principum Oratores admitteret: ut eum valentem & robustum credentes magis reformidarent. (a) Vivit adhuc in Germania princeps è præcipuis: qui tametsi ultimâ senectâ, quotidiano suillæ carnis, & sale conditæ usu validam stomachi constitutionem, & integras corporis vires simulat. Idem paucos ante annos, è domesticis nobilem ingentem lapidem ambulanti domino incommodum, è via submoventem, suo loco reponere jussit, quæsito, an se adeo decrepitum putaret, ut transilire exiguum silicem nequeat? Ex eodem fere fonte alius error promanat, quod quanquam senex, & tota vita turbis jactatus princeps non aliam opulentiorem liberis hereditatem relinquere possit, quam sapientia & pace firmatum imperium; plures tamen fuisse compertum sit, qui longæ spei umbram sectantes, in exitu vitæ opera moliuntur, quibus perficiendis vix vigentis ætate ac robore vita sufficeret: quin etiam haut raro odia, turbas, pericula in posteros juventa & consilió tanto oneri impares

(a) *Busbeq. Epist. Turc.*

pares transmittunt. Quo pertinet, quod Plutarchus in M. Craſſi vita, & Appianus Alexandrinus primo Parthicorum referunt in hanc formam. Dejotarus Galatiæ Rex jam ſenex novam urbem moliebatur. Id intempeſtivum Craſſo in Parthos eunti, & tum apud Dejotarum hoſpiti viſum, de urbe hominem cogitare, quem cani ad tumulum juberent reſpicere. Igitur ſuaviter cavillatus, umbra te, credo, Dejotare, fefellit. longum negocium poſt horam duodecimam aggreſſus es. Rex remenſus jocum, Et tu, Craſſe, inquit, ad antelucanum opus poſt meridiem proficiſceris. & occidente jam ſole in Orientem properas. Uterque alteri verum dixit. debebant ambo robuſtæ ætatis curas ſenectutis reputatione omittere. Henricus IV. Galliæ Rex induciarum Belgicarum præcipuus auctor & promotor fuit, eam potiſſimum propter rationem, ut vicinos armis & bello exutos poſt ſe relinqueret moriturus. Et tamen idem Henricus paulo poſt prudentiam inconſulto amori (ſi Guidoni Cardinali Bentivolio credimus) (*a*) poſtponens, octavo & quinquageſimo ætatis anno, relictis poſt ſe libetis, quorum major novem

(a) *Relat. de fug. Condæi.*

annos nondum expleverat, unius mulieris causâ non Galliam modo suam, sed potiorem Europæ partem ingentis belli motu concutiebat; nisi scelesta manus magnam animam in alium orbem ejecisset.

Aliam ad spem trahere.] Sive succederet dolus adversus fratrem, sive non, rebus suis consulebat Pharasmanes. Nam illo casu, quamvis pessimo scelere, filio regnum, isto pericula, casus & fortasse mortem procurabat. Eodem consilio Ludovicus XI. Rex suadentibus ne Carolo Burgundo in Germanos bellum meditanti inducias concederet, ne potentiâ invalesceret gravis Galliæ vicinus, imo concedi debere statuit, ut majori potentiæ collisus Carolus viribus & famâ minor ex bello rediret. (*a*) Paulus III. Pontifex Cosmo Medici Margarithæ Austriacæ nuptias, quas ipse Octavio Farnesio nepoti suo conciliare volebat, ambienti Victoriam Farnesiam obtulit. (*b*) Philippus Hispaniæ Rex Antonio Borbonio Navarræ Regi, paternum regnum repetenti, Sardiniam promisit, nunquam daturus. (*c*) Ita aliam ad spem trahendo nostra alienæ cupiditati subtrahimus.

Simulata

(a) *Comin.* 4. *comment.* 1. (b) *Hadrian.* 2. *hist.* (c) *Davila* 2 *hist.*

Simulatâ adversus patrem discordiâ] Odia fingere solent homines, quo occultius fallant. Nota est Zopyri historia, (a) Catharina Medicæa, quo maxime tempore cum Philippo Hispaniæ rege inimicitias fingebat, in Hugonotarum perniciem secreta cum illo consilia coquebat. (b)

Primores Armeniorum ad res novas illicit] Non præsentis tantum seculi, sed antiquorum etiam temporum dehonestamentum fuit aliorum principum ministros auro corrumpere, atque illis subjectos populos ad rebelliones illicere. Quæ res non injusta modo est, sed & pessimi exempli, quod in ipsum authorem sæpe recidit. Verum reges & principes sibi plerunque indulgere solent, quæ in aliis tolerare non possunt: neque juris æque publici, atque privati est, ut quod quisque juris in alterum statuerit, eodem ipse utatur. Nuper tota prope Europa Belgarum ab Hispaniæ Rege secessionem (quæ quibusdam pessimum, plerisque pulcherrimum facinus videbatur) consiliis & armis sustinuit. (c) Parum erat, quod Hispani flagitiosam contra Henricos, tertium & quartum, Galliæ Reges conspirationem, religionis prætex-

(a) *Iustin.* (b) *Vide Davil. 4. hist. bell. civil.*
(c) *Boccalin. pietr. del. parag. c. 4.*

tu foverunt. (*a*) etiam cum Hugonotis & Henrico Rohano; Sabaudiæ Duce conciliatore, fœdera meditabantur. (*b*) & quantum aberat, quin Rupellas, hæreticorum arcem obsessam Hispaniæ Rex liberaret? Quod flagitium appellant Galli, faciunt. Batavos olim, & nunc Catalanos, Lusitanos, Neapolitanos, de exemplo securi, contra Hispanos tuentur. Sed ut ista corrumpendæ fidei solertia scelere non caret, cum istam perfidiam in alterius perniciem emercamur; ita fortassis veniam meretur, qui salutem & incolumitatem suam, alieni dedecoris securus, quovis modo tuetur. Quomodo Guilielmus Mantuæ Dux, multus erat in erogationibus erga illos, qui plurimum in aulis maximorum Principum poterant: (*c*) & Ludovicus XI. Galliæ Rex, quos apud Britanniæ ducem, hostem suum (si hostis dici debet idem qui subditus) auctoritate valere sciebat, annuâ pecuniâ & honoribus sibi quæsivit. (*d*) Et nemo opinor Cæsari, & Christianis principibus de servo corrupto actionem intentaverit, qui Ibraimum purpuratorum apud Suleimanum,

(a) *Thuan. Davil.* (b) *Le Duc de Rohan dans ses memoir.* (c) *Possevin. hist. Monferr. p.* 89.
(d) *Comin.* 3. *Comment.* 11. *vide Hieron. Cardan. proxenet. cap.* 73.

num, principem donis emisse dicebantur, ut herum ab inferendo Christianis bello in Persas averteret.

CAP. XLVI.

VT *Hiberi obsidio decedant, expostulat. Ille propalam incerta, & sæpius molliora respondens*, &c.] Henricus Cardinalis Caetanus dicere solebat, eum, qui nesciat negare, non posse regnare; & Joannes Boterus in apophthegmatibus (*a*) asserit, difficilimam esse artem sine offensâ denegandi, quæ petuntur. Quibusdam placuit, in alienum arbitrium rejicere, quæ ipsi concedere nolebant. Ita Tiberius legionibus Pannonicis per seditionem plura flagitantibus, acturum apud Patres de postulatis eorum respondit. misisse interim filium, ut sine cunctatione concederet, quæ statim tribui possent. cætera Senatui servanda. (*b*) Idem ad preces Libonis Drusi respondit, Senatum rogaret. (*c*) Eodem modo Henricus Rex Forcæum aliosque pro capite Bironii deprecantes, juvare periclitantem in Senatu jussit. (*d*) Aliis saluti fuit, distulisse rem,, quæ sine periculo negari

(a) *Par.* 1. *lib.* 1. (b) 1. *Annal.* 25.
(c) 2. *Annal.* 30. (d) *Thuan.*

gari non poterat. Quod duobus illustribus exemplis in disquisitionibus politicis (*a*) docet vir Clarissimus Marcus Boxhornius. Cujus prudentiæ pars est, dicere, nos legatos missuros, cum quibus de totâ re amplius agatur. Cum Pius IV. Pontifex, Hispaniæ Rex & Sabaudiæ Dux splendidâ legatione Carolum IX Galliæ Regem ad decreta Concilii Tridentini recipienda, & armis extirpandam Hugonotarum hæresin exhortarentur, ingrati officii vim & effectum ita Carolus elusit, ut primum legatos apud Fontem bellaqueum, loco privato, & ab hominum frequentia remoto, admitteret, celebritati vitandæ, quæ famam & pondus negocio conciliabat. Tum dilatum variis artibus negocium ipso temporis spacio languebat. Ipsa quoque responsa obscura erant, ambigua, & quo verterentur, diversas interpretationes receptura. Tandem dimissi legati, addito, statim secuturos idoneos homines, qui Regis mentem Pontifici, & Principibus clarius adaperirent. (*b*) A Carolo IV. Imp. Scaliger Veronæ dominus petebat Solfarinum, Castilionum, Caprianam, Gonzagis possessa. Negari honeste non poterant, quæ divisis inter aulicos muneribus,

(a) *Cap.* 11. & 43. (b) *Davil.* 3. *hist.*

bus, & quasi soluto pretio postulabantur. Ergo promissum è Germania diploma. Sed cum principum aulicorum longe ab Italiâ degentium conscientiam invocaret Scaliger, Cæsarique promissa objiceret; à nemine responsum, tantum ut bene, sic frustra sperare jussus est. (*a*) Alia eludendi desideria ratio est, negare aut protrahere admissionem eorum, quos ingrata nobis, & effectu difficilia postulaturos conjicimus. Philippus III. Hispaniarum Rex Victorium Amedeum Sabaudiæ Ducis filium, quem à patre pro Monferratensi caussa missum sciebat, Monferrati subsistere jussit, non admissum iri in conspectum protestatus, nisi patrem restitutis, quæ in ditione Monferratensi occupaverat, mandatis paruisse sibi constitisset. (*b*) Cum Eumenes Rex, in quem alieniore animo Romani erant, Romam adventare diceretur, & Romani in regem nec ingrati videri, nec grati esse vellent; pudori suo SC. prætexuerunt, quod in hanc sententiam factum erat: Non placere Senatui, Regem Romam venire. Cumque accepissent, Eumenem Brundusium jam accessisse: Quæstorem ad eum miserunt, qui Senatus nomine

(a) *Possevin. 4. hist. Mant.* (b) *Possevin. hist. Monferrat. p.* 273.

mine quæreret, quid illi in Italiam acceſſio eſſet?nam,niſi gravis cauſa urgeat, poſſe cũ illo itinere ſuperſedere. Eumenes cum ex hac denunciatione conjecturã deSenatus in ſe animo feciſſet, nulla ſe re indigere profeſſus,in regnum ſuum reverſus eſt.(a) Non ita facilè habuit Henricus III. Galliæ Rex Henricum Guiſium. Illi Lutetiam adventanti quo ſe ſeditioſæ plebi caput & ducem oſtentaret,Rex primo PomponiumBelleuræum,mox Philibertũ Guiſciũ,& Carolum Benoëſum obviam miſit,qui ipſi denunciarent,ne iſtis temporũ ſuſpicionibus ad aulã veniret.conſuleret quieti Vrbis,& ſe prave diffamantibus ſubtraheret. Et Belleuræus quidẽ apud Sueſſiones obviam Guiſio factus,mandata edidit:ad quę ille vaga,incerta, ambigua reſpondit. Vix abierat Belleuræus,cũ Guiſius conſcenſis equis cum ſeptẽ tantum comitibus, eveſtigio ſequitur fugitans regias vias, & per diverticula iter faciẽs,ne in alios à rege ad ſemiſſos incideret. Cæterum diverſis itineribus magnũ numerũ & nobilium, & veteranorũ militũ pluribus diebus per diverſas urbis portas Lutetiam ingreſſos,& in varia civitatis loca quo tutius laterent,diſperſos prǽmiſerat.Iſta diligentia Guiſcium & Benoiſium fefellit,qui haut

(a) *V. Andr. Brunner. 3. annal. Bojor.*

haut prius quam ad S. Dionysii portã esset, Guisium obvium habuerunt.(*a*) Nuperrime Comes Olivaresius Flaminium Viscam, à Thoma Sabaudiæ principe ad uxorem & liberos ex aula Hispaniensi abducendos missum, quod neque tutum esset concedere, quæ peteret, neque honestum negare, conspectu suo & colloquio prohibuit. (*b*) Alia cautio est, ad aliam spem trahere iniqua, aut intuta precantes, & alia, quam quæ petuntur, offerre.(*c*) quod Catharinæ Mediceæ Galliæ reginæ usu frequens erat. (*d*)

Est iterum aliud sophisma, competitorẽ importuno candidato suscitare. Quomodo nuper Vrbanus VIII. Papa Rinaldum Atestinũ, Mutinę Ducis fratrẽ, etiã Imperatoris suffragio & favorę nitentem à petitione Cardinalatus submovit, oblatâ dignitate Friderico Hassię Lantgravio, & mox uni ex Comitis Trautmansdorffii filiis. (*e*) Tandẽ illa quoque notissima recusare volentium ars est, quâ velle simulant: at mox ingratas ac difficiles condiciones proponendo tot perplexitatib. negocium implicant, ut exitum sortiri nequeat. Quomodo Henricus III. Galliæ Rex, cum invitus federi Catholico nomen suum accommodasset,

(a) *Davil. 9. hist.* (b) *Victor. Sir. tom. 2.* (c) *V. nostra S. ad c. 44.* (d) *Davil. 2 hist.* (e) *Victor. Sir.*

modasset, satis gnarus, quantum ex regiâ potestate peteretur, nullâ promptius remorâ federatorum ardorem stitit, quam duos *Ducatorum milliones* in belli impensam postulando. (*) Simili arte nuper Ferdinandus Imp. Carolum Britanniæ Regem sororii Palatini restitutionem urgentem(‡); & Mutinæ Dux Vrbanum VIII, Pontificem, transitum copiarum per illius ditionem postulantem, delusit. (†)

CAP. XLVII.

AC *primo Rhadamistus in amplexus.* &c.] Similis perfidiæ historia est, quam describit Macchiavellus singulari libro de cæde Vrsinorum. &c. Alias Bodinus narrat quinto de republica.

Mos est regibus &c.] Mores & ritus varios feriendi federa recensent Philippus Camerarius in horis subsecivis (*a*) & Christoph. Besoldus libro de federibus. (*b*) Quæ ad philologicas delicias magis quam ad politicam sobrietatem pertinent.

Visui tamen consuluit, ne ceram interficerentur] Vide Freinsheimium ad tertium historiarum Q. Curtii. (*c*)

Quasi

(*) *Davil. 6. hist.* (‡) *Marc. Zuer. Boxhorn. hist. Bred. pag.* 19. (†) *Sir.* (a) *Cent. 2. cap.* 78. (b) *Cap. 6. sect. 4.* (c) 3. 12, 6.

Quasi jurisjurandi memor, non ferrum, non venenum &c.] Similia captiosæ pactorum interpretationis exempla referunt Albericus Gentilis secundo de jure belli. (*) Christ. Besoldus tractatu de federibus (‡) & altero de Pace. (†) Gregorius Richterus axiomate politico quarto & septuagesimo.

CAP. XLVIII.

Omne scelus externum cum lætitia habendum] Quisque in suo regno summâ potestate gaudet: neque par in parem habet imperium.

—— *rescindere nunquam*
Dis licet acta Deum. (a)

Neque igitur justum esse videtur, unum principem de alterius actibus, cognitionem, censuram, judicium sibi arrogare. Sua cujusque facta Deum judicem vindicemque habebunt. Aliud tamen dicendum erit, cum offensi alieno facto, nobis fœdere, aut clientelâ juncti sunt: ad quos tutandos, atque ab injuriâ vindicandos pacto & fide publicâ obstringimur. Ex quo judicandum est, non nisi cum flagitio connivere Quadratum potuisse, ut post socium

(*) *Cap.* 4. (‡) *Cap.* 7. *sect.* 3. (†) *Cap.* 6. *sect.* 6. (a) *Ovid.* 14. *Metam.*

cium regem per summum scelus interfe-ctum Armenia donum populi Romani ab interfectoribus obtineretur. Item & aliud dicendum erit, ubi in externo scelere omnium principum causa agitur. Ita nuper in Anglia facinus, quo subditi de sui regis capite, inaudito antehac exemplo, non in acie, non per tumultum & seditionem, sed pro tribunali, judiciorum in morem mox funestâ carnificis manu decreverunt, à pluribus Europę principibus auditum, toleratum, comprobatũ, multis miraculi instar fuit: qui nesciunt, plerisq; præcipuum justi & legitimi facti argumentum haberi, felicitatem: & quæ initio omnes detestabãtur, mitigatâ temporum successu severitate judicari: tanquam non improbaret divina justitia, quę non confestim vibrato fulmine punit. Exitiosa conniventia! quæ, ni regum causam fortius reges defendant, exitu comprobabit, quæ Trajanus Boccalinus minime vanus vates prędixit.(a) Postremo tum quoq; jus humanæ societatis, & obligatio, quâ homo hominem juvare, defendere, tueri tenetur, omni jurisdictionis & imperiorum distinctione antiquior esse debet, cum manifesta est injuria, & oppressio etiam propriorum civium. Quo jure in Maxentium

(a) *Cent. 2. ragguagl. 6.*

xentium & Licinium Constantinus, in Persas alii Romanorum Imperatores arma ceperunt, aut capere minati sunt, nisi vim à Christianis religionis nomine arcerent. (*a*)

Semina etiam odiorum jacienda] Vide quæ olim scripsi ad primum (*b*) & sextum (*c*) annalium: & quæ paulo ante notavi hoc eodẽ libro. (*d*) Spontaneâ malitiâ odia immerentibus populis maxime Christianis subjicere, nunquã mihi probari poterit. An pro salute tuenda contra alios qui quietẽ nostrã sine causa lacessunt, isto uti dolo liceat, si quęras, vereor, ut semper, & quovis modo. Scitum est, quod de Ludovico, quẽ Sanctũ vocant, Gallię Rege, Joinvilla, & ex eo Hugo Grotius refert in hunc sensũ: Qui in magno erant regis consilio, sæpe eum reprehẽdebãt, quod tãtũ laboris sumeret ad pacẽ inter exteros reponendã. Mẽdose eũ facere, quod nõ eos bello collidi sineret. Respõdebat Rex, non recte eos loqui. Si, inquit, principes & dynastæ vicini regni mei, viderẽt me facile perpeti, ut bella inter se, gererẽt, dicerẽt inter se: Rex Francorũ dolo malo nos bellare patitur; atque inde, odium in me conciperent, & aliquando, me incursarent: unde malum regno, meo,

(a) *V. Grot. 2. de jur. bell.* 25. §. 8. *Alb. Gent. de jur. bell. lib.* 1. *c.* 16. (b) *V.* Pompejũ imagine pacis. (c) *V.* Consiliis & astu res externas moliri. (d) *Cap.* 41.

,, meo evenire posset. præterea fieri posset,
,, ut & Dei iram in me accerserem: cum
,, dicat Deus, benedictos esse, qui operam dant, ut ad pacem & concordiam
,, revocentur discordantes.

Armeniam specie largitionis turbandis barbarorum animis præbuerint.] Simile est, quod turbandis plurium federatorum consiliis, & serendis suspicionibus odiisque, obsidione aut armis pressi loca munita uni ex federatis, cæteris exclusis tradiderunt. Quomodo Galli Brixiam, Lignagum, Pescariam Episcopo Gurcensi, & Pro-regi Neapolitano, præteritis Venetis, qui loca ista etiam pecunia sibi empta volebant, reddiderunt: quo odiorum inter collegas semina jacerent. *(a)*

CAP. XLIX.

C*onversatione scurrarum iners otium oblectaret*] Vide Piccartum observationum decade XVII. cap. V. & VII.

Ne cæteri quoque ex Peligno conjectarentur, Helvidius Priscus cum legione mittitur] Dedecus & infamia ministerio unius contracta, successoris Virtute famaque reparanda est.

CAP.

(a) *Guicciard.* 11. *hist.*

CAP. L.

F*Ratremque Tiridatem deducere in regnum parat*] Vide Noſtra ad XV. annalium. (*)

Parum proviſi commeatus] Vide Henricum Ducem Rohanum libro de bello, cap. XVI.

Truculentior quam antea, tanquam adverſus defectores] Quo ſenſu Tacitus intolerantiorem ſervitutem iterum victis dixit. (†)

In tempore rebellaturos] Iniqua regnantum & miſera condicio! dum tutelam ſibi & præſidium parant armis, tributis, caſtellis, pœnis; creſcente civium odio omnis perit ſecuritas.

CAP. LII.

Q*Uaſi finem principis per Chaldaos ſcrutaretur*] Vide Notata ad II. annal. (*a*)

Sc. atrox & irritum] Locus notatus ad XIII. annal.

Ordine Senatorio ſponte cederent] Vide ad XI. (*b*)

CAP.

(*) *Cap.* 2. (†) 3. *Annal.* 45. (a) *Verb:* Juvenem improvidum *&c. pag.* 204. *& ſeqq.*
(b) *Cap.* 25.

CAP. LIII.

G*Rates publice agendas, quod Regibus Arcadiæ ortus, veterrimam nobilitatem usui publico postponeret, seque inter ministros principis haberi sineret*] Eodem modo Claudius asserebat, Xenophontem medicum, cujus scientiâ ipse utebatur, Hippocratis familiâ oriundum: & nuper Cardinalis Richelius Ludovico Crasso Rege ortum se ferebat. Ineptiæ Genealogiarum! & eorum, qui illas pertexunt adulatorio magis obsequio, quam veritatis studio.

Intra priorem paupertatem subsistere] Quod hodie de se credi vult, qui insulari vafricie & Latiis artibus Galliæ illudit.

CAP. LIX.

C*Uncta malefacta sibi impune ratus, tanta potentiâ subnixo*] Etiam in aula manus manum lavat:& minores potentiorum favori innixi cuncta sibi impune rentur: & isti suos ubique clientes honoribus, magistratibus, opibus ac potentiâ ornantes sibi munimentum ac præsidium parant. Ipsi quoque proceres, penes quos præcipua potentia, mutuis officiis se tuentur. Sophonius Tigellinus apud Galbam T. Vinii

nii potentiâ defensus fuit, prætexentis servatam ab eo filiam. & haut dubie servaverat; non clementiâ, sed effugio in futurum. quia pessimus quisque diffidentiâ præsentium mutationem pavens adversus publicum odium privatam gratiam præparat: unde nulla innocentiæ cura, sed vices impunitatis. (*a*) Ex quo fonte etiam promanarunt Cæsaris, Pompeji & Crassi, dein Augusti, Antonii & Lepidi pro tuendâ invicem potentiâ conspirationes: quibus gemina fuit, quam Annas Momorantius, Guisii & Antonius Borbonius Navarræ rex conflaverunt. (*b*) De Romano Africæ Comite egregiam narrat historiam Ammianus Marcellinus, (*c*) qua docemur, quantum audeant homines aulicis amicitiis turgidi. Aliam habet Franciscus Guicciardinus tertio historiarum de Entraguio, arcis Pisanæ præfecto, qui Lignii auctoritate defensus, & ignavum regis ingenium contemnens cuncta illius jussa, minasque despiciebat, eludebatque. Aliam idem Guicciardinus quinto historiarum habet de Alexandro VI. Pontifice & Cæsare Borgia, qui omnes Ludovici XII. Regis federatos ac clientes audacter lacessiverunt, amicorum

(a) *Tac.* 1. *hist.* 72. (b) *Henr. Davila* 2. *hist.*
(c) *Ammian. Marcellin.* 27. & 28. *hist.*

rum fiducia; quos in comitatu regis habebant; & satis gnari, intolerantes injuriarum Gallos, dum inferuntur; postquam illatæ sunt, plerunque negligere. Sed sæpe evenit (ut incertæ sunt & instabiles pòtentium res] ut vetustâ ilice cadente, omnia circum arbusta prosternantur; & subruto muro hedera illi incumbens in humum procumbat: justo Dei judicio, qui in se omnem nostram spem atque fiduciam, non in hominibus collocari severissimâ lege sanxit. (a) Etiam observatum est, invidere plerunque Virtuti, etiam qui provexerant. Qui solam & nudam amabant, opibus & potentiâ circumfusam affligunt. Est præterea subtimida apud præcipuos procerum favoris dispensatio, & quædam veluti parsimonia: quo non in minimis sæpe, sed in maximis negotiis raro uti volunt: ne importunitate dominus offendatur, aut minima imputet ei, qui majora sperare posset. Ex qua ratione etiam fit, ut iidem proceres amicis ac clientibus inviti officia impertiantur, verentes, ne sibi suisque commodis locum præripiant. Postremo in eo saltem potentia apud principem reverenter exercenda est, ne nota illorum, quos provexerunt, flagitia impru- denti

(a) *Psalm.* 62. 118. & 146. *Ierem.* 17.

denti patrocinio tueantur. Quomodo apud Philippum III. Hispaniæ Regem Lermæ Dux, quanquam eludere arte, aut mollius interpretari Inojosæ Marchioni objecta posset; ne tamen publicâ invidiâ potentiam suam infringeret, eo flexit, ut multa agnosceret, quibusdam conniveret, nonnulla excusaret; cessura cum tempore odia sperans. *(a)*

Intempestivis remediis delicta accendebat] Minutuli homines precario imperio velut nani heroum cothurnis induti suo se pede moduloque metiri dediscunt: assumptisque ex muneris sui majestate supercilijs auctoritatem, quam prudentiâ tueri non possunt, munire sævitiâ volunt. Quod apposito Alberti Batavensis Archidiaconi, Legati pontificii, hominis acris ac præfervidi exemplo docet XIV. annalium Bojorum Andreas Brunnerus. (*b*)

Contemptu regentium minus cohercitis odiis] Vide Nostra ad XI. annal. (*c*)

Damnatus flagitiorum, quæ duo deliquerant]. Facinorum, sive egregiorum, sive malorum societas cum potentiori inita, uni tantum utilitati vel exitio est. Nam illorum

L

(a) *Anton. Possevin. de bell. Monferr. pag.* 470.
(b) *Adde Not. ad* XI. *annal. c.* 18 *&* 21.
(c) C. 15.

rum præmia validiori, horũ supplicia minori in solidum cedunt. Punienda sint magistratuum delicta an conniventia transmittenda dixi ad XIII. annal. (*)

CAP. LV.

Blandimentis adversus plebem, fraude in ducem &c.]. Locus hic relatus est supra ad hunc librum. (†)

CAP. LVII.

Agrippina trepidatione principis usas.] Vid. Not. ad XIII. annal. (‡)

CAP. LIX.

Statilium Taurum opibus illustrem, hortis ejus inhians, pervertit] Vid. Not. ad XI. (*A*)

CAP. LX.

Cum Sempronii rogationibus equester ordo in possessionem judiciorum locaretur] Vide quæ notavi ad XI. (*a*)

CAP.

(*) *Cap.* 30. (†) *Cap.* 19. (‡) *Cap.* 19.
(A) *Cap.* 1. (a) *Cap.* 22.

CAP. LXII.

QUando ea loca insiderent, quæ transmeantibus terrâ marique ducibus exercitibusque, simul vehendo commeatu opportuna forent] De traductione copiarum militarium per alienas terras illud primo notandum venit, eam jure gentium omnibus deberi, qui nobis, & quibus nos hostes non sumus. Quod noster olim amicus, Hugo Grotius ὁ πάνυ comprobavit secundo (*a*) & tertio (*b*) de jure pacis & belli. Deinde & cautiones observandæ sunt, quibus transeuntium insidias, traductionisque damna evitamus. Nimirum, ut divisis manibus transmittantur copiæ: ut inermes; ut impensâ transeuntis is qui transitum concedit, sibi præsidia idonea conducat: ut obsides dentur. &c. (*c*) Insignes illæ fuerunt, quas ante hoc octennium Mutinæ Dux Urbano VIII. Pontifici, transitum per Mutinensem ditionem in agrum petenti in hunc modum præscripsit: Vt ante sextum diem quam exercitus fines Mutinenses attingeret, Dux à Thadæo Barberino, de adventu suo certior fieret: ut eâ-

L 2 dem

(a) *Cap* 2. *sect.* 13. (b) *Cap.* 17. (c) *Grot. d. libro* 2. *cap.* 2.

dem viâ, quâ primi, sequentes incederent: ne singulis diebus plures cc. equitibus, & cccc. peditibus traducerentur: ut in reditu eadem, quæ in transitu observarentur: ut maleficia damnaq; à milite illata resarcirẽtur. Exercitus ne citra quinq; milliaria Mutinã aut Rhegium Lepidi appropinquaret: neve in oppidis mœnibus aut vallo munitis hospitaretur. Ductores Pontificii Commissarios Mutinenses reciperent, qui transeuntes comitarentur, commeatibus pretia statuerent; & licentiæ militari obstarent. Dux pontibus struendis ligna, militi annonam, equis pabulum justo pretio præberet; haberetque eundem annonæ modum, quem largitus fuisset, nullo vectigali soluto, ex vicinis Pontificiis ditionibus petendi, distrahendique licentiam. Annonæ in diem statuti xxv. modii Ferrarienses in xm. milites: & xxvm. pondo fœni in singula millena equorum. Præscriptum præterea, quantum itineris primo die, quantum secundo, & sic deinceps, exercitus emetiretur: & quibus in locis pernoctaret. Postremo conventum fuit, ut si quis ex Mutinensibus in militem deliquisset, is captus provinciali magistratui; & ubi versa vice miles Mutinensem offendisset, supremo exercitus Juridico puniendus traderetur.

tur. (*) Henricus IV. Galliæ Rex versabat animo & opere consilia, quæ toti Europæ novam faciem indutura credebantur. Habebat exercitum numero & robore formidandum. Huic transitum per agrum Lucemburgensem ab Alberto Archiduce Belgii Principe postulabat; non ut impetraturus, sed causam bello. Re in consilium vocata diversæ à Ludovico Velasco & Carolo Bucquaio sententiæ dictæ fuerunt: quas duabus Orationibus lectu dignis expressit Guido Cardinalis Bentivolius in Commentario de fuga Condæi.

CAP. LXIII.

V*Nde primo quæstuosi & opulenti:*] De causis magnitudinis urbium singularem libellum scripsit Jo. Boterus.

CAP. LXIV.

I*N præcipuo pavore Agrippina, vocem Claudii, quam temulentus jecerat.*] Minæ nec nocent hosti, & vindictæ celerandæ occasionem patefaciunt. (*a*)

Perditâ prius Domitiâ Lepidâ mulieribus causis] Vide Notata ad XIII. annal. (*b*)

 Filio

(*) *Victor. Sir. hist. tom. 2. lib. 2.* (a) *Vid. Not. ad lib. 2. p.* 250. (b) *C.* 19.

Filio dare imperium, tolerare imperitantem nequibat] Matrum reginarum ingenium! (*)

CAP. LXV.

CErtam *ſibi perniciem, ſeu Britannicus rerum ſeu Nero potiretur*] Nam illius matrem, Meſſalinam ſuis potiſſimum conſiliis perdiderat: & Agrippinæ nuptiis præcipue adverſatus fuerat.

Decus, pudorem, corpus cuncta regno viliora] Adulteria regni inſtrumentum. (*A*)

CAP. LXVI.

VEneficii *damnata, & diu inter inſtrumenta regni habita*] Ejuſmodi Aulæ inſtrumentum Romæ erat Baptiſta Vercellenſis chirurgus, (†) & Florentiæ Blaſius pharmacopœus. (‡)

CAP. LXVII.

SPretâ *præſentium invidiâ*] Magna ſcelera incipiuntur cum periculo, peraguntur cum præmio: (*a*) neque laudantur,

(*) *V. Omiſſ. ad 3. annal. p. 582.* (A). *V. Not. ad. c. 25. hujus libri.* (†) *Guicciard. 13. hiſt.*

(‡) *Hadrian. 2. hiſt. Veneficiorum inſignium exempla notavi ad 13 annal. 15.* (a) *Tac. 12. ann. 67.*

tur, nisi peracta. (*a*) Quod supra quoque notavimus. (*b*) Et alibi itidem notatum à me fuit (*c*) offensiones magnorum hominum aut cœptandas minime esse, aut eo usque prosequendas, ut à nobis læsus nocere nequeat. Quo pertinet historia de Herennio Pontio, quam Livius refert nono historiarum, & Episcopi Osmensis Oratio ad Carolum V. Imperatorem, de dimittendo Francisco Galliæ Rege, in prœlio ad Ticinum capto: quam Guicciardinus habet sextodecimo historiæ: & quod Alexander Farnesius dicere solebat, ei qui gladium contra principem suum stringit, vaginam abjiciendam. (*d*) Simile est, quod hoc eodem libro (*e*) monuimus, ita subditos nostros habendos, ut offendere nos aut nolint, aut nequeant: & quod alii tradunt, aut non incipiendum bellum, aut ita gerendnm, ut miles, arma, pecunia, annona, omnis denique belli nervus, plus quam opus sit, affluat, quod Itali dicunt, bellum facere magnum & breve. (*f*) Postremo Tacitus (*g*) universim affirmat, inter ancipitia deterrimum

 esse,

(a) *Tac.* (b) *Hoc libr. cap.* 12. (c) *Not. ad* 2.*annal. pag.* 249. (d) *Davil.* 9.*hist.* (e) *Cap.* 32. (f) Fare la guerra grossa & corta. (g) 2.*Hist.* 41. *adde Did. Savedr. Symb.* 85.

esse, media sequi: quibus nec audemus satis, nec satis providemus. Preceptũ bonis & malis facinoribus æque necessarium. Nero veneno tollendi fratris certus, & lenti sceleris impatiens, veneficam Locustam incusabat, quod dum rumorem respiceret, dum parat defensionem, securitatem negligeret. (*a*) Agrippina, quando convalescente Claudio extrema timebantur, *spretâ præsentium invidiâ* rapido veneno semel conceptum scelus peragit. (*b*) Senatus Veneti celebratæ omnibus seculis prudentiæ labem aspersit, quod vitandis suspicionibus, & ne Turcarum Imperatorem irritarent, Cyprum insulam, & præcipuas ejus urbes, portusque munire noluissent. Quæ negligentia faciliorem tyranno insulæ occupationem fecit. (*c*) Franciscus Mantuæ Dux sæpe monitus, Trinum, & quæ alia in Sabaudiam versa oppida repentino excursu facile opprimerentur, præsidiis munire; cum non paruisset, *ne socero diffidere videretur*, se suaque insidiis & vi opportuna fecit. (*d*) Titus Vespasiani filius ad Galbam missus; ubi Corinthi de interitu Galbæ, & Othonis ac

(a) *Tac.* 13. *annal.* 15. (b) *Tac. hic.* (c) *Io. Bapt. Hadrian.* 21. *hist.* (d) *Posserin. hist. bell. Monferr.*

his ac Vitellii bello, accepit, ad patrem rediit, ita secum reputans: offensam haut dubiam Victoris: sed incertâ adhuc Victoriâ, & concedente in partes patre, filium excusatum. Sin Vespasianus remp. susciperet, obliviscendum offensarum de bello agitantibus. *(a)* In eundem sensum Cl. Civilis apud suos Batavos asserebat, ambiguam belli fortunam Vespasiano imputaturos; Victoriæ rationem non reddi. *(b)* Adulatoria est illa Panegyrici ad Constantinum libertas: *sic quoque, cum viceris, redde rationem.* *(c)* Cl. Civilis sententiam ille ex plebe Florentinâ Orator expressit, qui *nunquam pudore affici Victorem* dixit. *(d)* Cum Henricus III. Galliæ Rex, cui à Pontifice sacris interdictum erat, præsente Henrico Navarro quereretur, sacris se arceri, quanquam totâ vitâ Romanam Ecclesiam omni studio ac religione coluisset: cum ex diverso Hispani Romam impune diripuissent, & Pontificem ipsum captivum detinuissent; subjunxit Navarrus: at illi Victores erant. Vincamus igitur; statim cen-

 suræ

(a) *Tac.* 2. *hist.* 1. (b) *Tac.* 4. *hist.* 14.
(c) *Incert. Paneg. Constantino dict.* (d) *Macchiav.* 3. *hist. Flor.*

turæ vinculis exſolvemur. Victi hæretici atque damnati moriemur. (*) Nuper Carolus Emanuel Sabaudiæ Dux bello cum Hiſpanis irretitus ſcriptas à rege Mediolanum literas intercipere minime veritus eſt. Neque enim injuriæ rationem inter bello decertantes habendam, ſed majorum æſtimatione obliviſcendam eſſe. (†) Odoardus Parmæ Dux nuperrime defunctus neceſſitatem ſibi impoſitam ajebat, recuperandi Ducatus Caſtrenſis, aut amittendi Parmenſis. Illo occupato à cenſuris abſolutionem, Papæ gratiam, decus, famam redituram: ſin fortuna abnuerit, cum Caſtro Parmam, Placentiam, filios, honorem omnem amitti. (‡)

CAP. LXVIII.

ADitus cuſtodiis clauſerat] Locus relatus in notis ad primum annalium. (a)

CAP. LXIX.

QUæ offerebantur, ſecuti ſunt] Mos vulgi!

Teſtamentum haut recitatum] At Augusti

(*) *Davil. 10. hiſt.* (†) *Poſſevin. hiſt. Monferr.*
(‡) *Victor. Sir. tom. 2. lib. 3.* (a) *Verb.*: lætique interdum nuncii vulgabantur. *&c.*

gusti Testamentum, quo itidem privignus heres instituebatur, in Senatu recitatum fuisse Tacitus I. Annal. tradit. (*a*) Quo loco differentiæ causam notavi.

(a) *Cap.* 8.





CHRISTOPHORI FORSTNERI, Ad C. CORNELII TACITI Annalium librum tertium decimum NOTÆ POLITICÆ.

CAP. I.

Segnis & dominationibus aliis fastiditus] Nota characteres Cornelianos. Despecta, & nullius ausi capax natura: (*a*) socors ingenium: (*b*) segnis, pavidus, & socordia innocens: (*c*) mitis & injuriam segniter laturus: (*d* segnis & dominationibus fastiditus: (*e*) aurea pecus. (*f*)

Silanus D. Augusti abneposerat. hæc causa necis] Populi favor, & nexus sanguinis cum prioribus principibus exitii plerunque causa sunt apud intrusum vi vel fraude tyrannum. (*g*)

Cujus

(a) *Tac. 3. annal. 47.* (b) *Ibidem.* (c) *Tac. 1. hist. 56.* (d) *Tac. 2. hist. 71.* (e) *Tac. hic.* (f) *Ibidem.* (g) *Vide quæ scripsi ad primum Annal. p. 25.*

Cujus abditis adhuc vitiis mire congruebat] Compendiosissima ad Principis gratiam aucupandam via est, morum seu vera seu ficta similitudo: quia sapientes Principibus ii maxime habentur, qui ingenio ipsorum suis moribus accedunt. Narcissus libertus, Neronis abditis adhuc moribus per avaritiam & prodigentiam mire congruebat. (*a*) Princeps suspicionibus & metu agitatus Sycophantas & calumniatores fovebit, atque illorum improbitatem, qui magnos ideoque graves ignavo Principi viros lacessere minime verebuntur, qualis Sejanus à Tacito describitur; (*b*) cui animus fuerit audax, sui obtegens, in alios criminator. Vinosus Amphoras & Congios provehet: quomodo Tiberius Pomponium Flaccum, & L. Pisonem. (*c*) Libidini Principum lenocinantur Tigellini: (*d*) & prodigentiam instruunt intenduntque Petronii, (*e*) elegantiarum arbitri, eruditique luxus magistri. Apud avarum plus possunt Rationales, Quæstores, Trapezitæ, quam Papiniani: qualem Manuel Comnenus Imp. secum habuit Joannem quendam, hominem omnium bonarũ artium rudẽ, arrogantẽ, ambitiosum,

(a) *Tac. hic.* (b) 4. *Annal.* 1.
(c) *Sueton. Tiber.* (d) *Tac.* 14. *annal.* 57.
(e) *Tac.* 16. *annal.* 18.

ambitiosum; talem denique qualem Juvenalis depingit:

——*homo durus & asper,*
Procuratorem vultu qui præferat ipso.

Ille tantum sibi auctoritatis arrogabat, ut in omnes cæterorum ministerialium functiones impudenter irrumperet; &, ne quid ad summam audaciam deesset, Principis & Senatus decreta rescinderet; abolitâ quoque, parsimoniæ prætextu, triremium præfectura, quâ Imperii securitas nitebatur. (*)

Per avaritiam ac prodigentiam] Haut absonum est dicere, avaritiam & prodigentiam simul stabulari. Nam ærarium quod per largitiones, & prodigalitatem exhauseris, per scelera replendum erit. (†) Et isto sensu Mucianus largitus dicitur, quod avidius de Rep. raperet. (‡)

CAP. II.

Pari in societate potentiæ concordes] Quod valde rarum est. Nam arduum, eodem loci potentiam & concordiam esse. (*a*) Exempla sunt in Triumviris Augusto, Antonio, Lepido; in Cæsare, Crasso, Pom-

(*) *Nicet. Choniat. histor.* (†) *Tac. 2. annal.* 38. (‡) *Tac. 2. hist.* 84. (a) *Tac. 4. annal.* 4.

Pompejo; *(a)* in Ludovico Sforza & fratribus San-severinis. *(b)*

Quo facilius lubricam Principis ætatem, si virtutem aspernaretur, voluptatibus concessis retinerent] Vide quæ paulo post notabimus. *(c)*

Neque Neroni infra servos ingenium] Invidendum encomium, & cum paucis Principibus communicandum! *(d)* quod rari suo judicio & prudentia polleant; plures alienâ necessario utantur. Illi nolunt ab unius cujusquam suorum consilio, authoritate, tyrannide pendere: hi in sceptri communionem unum famulorum admittunt. Philippo II. Hispaniarum, & Henrico IV. Galliæ Regibus, quanquam pacis bellique artibus insignium virorum copiâ circundatis, nemo unus præcipuo favore & auctoritate (nisi quam injunctum munus, & annexa muneri dignitas dabant) erat. Secus ac Successoribus: apud quos Lermæ, Olivarii, Richelii, Mazarini omne punctum ferunt.

Pallas tristi arrogantia tædium sui moverat] Nō tędiū modo sui & fastidium ministrorum arrogantia movet, sed plerunque ipsis

(a) *Flor. Suet. Dio Cass.* (b) *Comin. 7. Coment. 2.* (c) *Ad cap. 12. hujus libri.* (d) *Vide Boccalin. cent. 1. cap. 19. & cent. 2. c. 5.*

ipſis quoque dominis maximo nocumento eſſe ſolet. Morvillerii Galliæ Cancellarii contumelioſa atque arrogans Oratio, Carolo, qui poſtea Audacis cognomento Burgundiæ Dux fuit, bello in Ludovicum XI. Galliæ Regem cauſam, aut prętextum prębuit. (a) Armandus Cardinalis Richelius poſt varias Carolo Emanueli Sabaudię Duci contumelias illatas, cum eo faſtus progreſſus eſſet, ut Victorem Amedeum, Sabaudiæ principem, Regis ſui ſororium, pacis cauſâ ad ſe venientem ne conſpectu quidem & alloquio dignaretur, Ducem in ſummam deſperationem, [& ſeipſum cum exercitu in extremas neceſſitates atque pericula (quorum non aliud remedium, quam alia pericula, & temeraria, ſed felix Pignaroli oppugnatio, fuerunt) conjecit. (b) Olivareſij nuper in aula Hiſpanienſi ſupercilium ac faſtus omnibus gravis etiam ab ipſo Rege procerum animos abalienaſſe videbatur.

CAP. III.

NIhil regente eo triſte Reip. ab externis accidiſſe] Principes etiam fortuita ſuę virtuti imputare ſolent. Idem Nero, qui defuncto

(a) *Commin. 1. Comment.* (b) *Capriat. XI. hiſt.*

functo Claudio imputavit, nihil regente eo Reip. triste ab externis accidisse, in Poppæa uxore *fortunæ munera, pro Virtutibus laudavit.* (a)

Primum Neronem aliena facundia eguisse.] Eloquentia præcipuum Principis non ornamentum modo, sed gerendæ Reip. adjumentum est: sed illa, quæ plus naturali facilitati, quam scholæ laboribus & studio debet. Quod de viro militari Tacitus (*b*) dixit; id Principi non minus convenit, illi *authoritatem pro facundia* esse. Augusto Cæsari prompta ac profluens, & *quæ deceret Principem*, eloquentia fuit. Tiberius artem quoque callebat, quâ verba expenderet, tum validus sensibus, aut consulto ambiguus. (*c*) Tales alibi (*d*) Henricum IV. Galliæ Regem, & Melchiorem Cleselium Cardinalem laudavi. Solicite adornatus in Ferdinando Mantuæ Duce sermo, & Oratorum coloribus pictus nuper omnium reprehensionem incurrebat. quippe dedecere magnum principem tantum verborum arguta, & magnis sensibus prægnantia magis commendabant. (*e*)

Nero puerilibus statim annis, vividum animum in alia detorsit. calare & pingere. &c.] Principis

(a) *Tac. 16. annal. 6.* (b) *Tac. 15. ann. 26.* (c) *Tac. hic.*
(d) *In Omiss. p. 544.* (e) *Possevin. hist. bell. Monf. 30.*

Principis una & propria ſcientia eſt, noſſe

—— *regere imperio populos* ——

&, quod Themiſtocles de ſe dicebat, ex parva civitate magnam facere. Cætera ſine damno ignorantur. Nec magna Neronis in eo laus, quod cælare & pingere, carmina pangere, cantus aut regimen equorum exercere ſciebat. Principem doctum eſſe, quam videri decentius eſt. Juliano Cæſari eruditio Græculi, & Jacobo Britanniæ Regi (*a*) ludimagiſtri nomen impoſuit. Alphonſum Aragonium Aſtrologiæ & noſtrâ memoria Rodolphum Imperatorem Alchymiæ ſtudium contemptui & periculis objecerunt. Avorum memoriâ, qui Rempub. gerebant, literarum gloriam, certe ſtudium rebus gerendis ſive ſubſidium comparare, ſive ornamentum addere conſueverant. At iſto ſeculo doctum eſſe prudentiæ opinioni obeſt: ideoque eruditionis famam aut negligere, aut occultare, pudenda quidem, ſed neceſſaria ſolertia eſt.

CAP. IV.

PEractis triſtitiæ imitamentis] Sæpe fit, ut mortem propinquorum nulli jactantius

(a) *Vid. Cardinal. Bentivol. de Belg. fed. lib. 3. c. 5.*

ctantius mœreant, quam qui maxime lætantur. (*a*) Inde signanter Tacitus non tristitiam istud, sed tristitiæ imitamenta hoc loco appellat. Conciliat enim successori benevolentiam civium pietas erga decessorem defunctum, funeris paratus, meditata ad memoriam virtutum carmina, & laudationes, & lachrymæ, vel doloris imitamenta; (*b*) templum, & aræ, & cætera ostentandæ pietatis. (*c*) Valde offendit subditos Francisci Mantuæ Ducis incustodita in morte parentis lætitia: cum velo tectis palatii fenestris adstitisse, &, ubique longo ordine lugubris pompa facesque medio foro procederent, una cum conjuge gestiens prospectasse diceretur. (*d*)

Nec juventam armis civilibus, aut domesticis discordiis imbutam &c.] Malus pacis & concordiæ custos est, novi principis erga cives odium: malus consiliarius, ira & ultionis cupiditas. Cheruscis lætus Itali, quem Româ Regem petierant, adventus fut: quod nullis discordiis imbutus, pari in omnes studio ageret. (*e*) & in eundem sensum Julius Classicianus suadet, (*f*) novum lega-

(a) *Tac.* 2 *annal.* 77. (b) *Tac.* 3. *annal.* 5. (c) *Tac.* 14. *annal.* 3. (d) *Ant. Possevin. hist. bell. Monferr.* (e) *Tac.* 11. *annal.* 16. (f) *Tac.* 14 *annal.* 38.

legatum opperiendum, sine hostili ira &c. superbiâ Victoris clementer deditis consultum. Henricus VII. Angliæ Rex nullâ re magis subditorũ odiũ meruit, quam quod ab initio regni apertũ in factionem Eboracensem odiũ profiteretur. (a) Quę addenda sunt olim à me traditis ad primũ Annal. (b)

Formam futuri principatus præscripsit], ea maxime declinans, quorum recens flagrabat invidiâ] Id magno suo posterumque malo neglexit Roboamus Hebræorum Rex, qui comperto, Salomonem patrem tributorum invidia apud populum flagrare, pejora se facturum aperte interminatus est. Quę stultitia populo à Davidis posteris desciscendi occasio fuit. (c) Memini, cum Lutetiæ essem, paulo post Ludovici Regis & Cardinalis Richelii mortem, omnes librariorũ tabernas acerbissimis in hunc famosissimisque libellis plenas fuisse. Incentorem belli, tributorum auctorem, regis regniq; perniciem sublatã, miserâ lætitiâ sibi quisq; gratulabantur. Et sane, si Reginę Mazarino, principibusq; tunc animus & consiliũ fuisset, bello luctuosissimo finẽ imponere, populũq; tributis levare; sapiẽtissime Richelius odii publici victima objiciebatur, pręterito-rum

(a) *Bacon. vit. Henric.* (b) *In Omiss. p.* 528. *&* 529. *adde Boccalin. cent.* 2. *c.* 96. (c) 1. *Reg.* 12.

rum illi malorũ invidiâ, reparatę contra pacis decore Reginæ adſtructo. At vero poſtquã pace potius bellũ, & inſtare cœptis, urgere ſucceſſus, &, quod huic cõſequens eſt, cõtinuare tributa viſum eſt; inconſultũ profecto fuit permittere, in alio tãtâ licẽtiâ prędamnari, quod mox ipſe facturus eras: tanto ubiq; flagrantiorum periculo odiorum, quanto mitius imperiũ ſub novo miniſtro ſperabatur. (*a*) Neq; in novo tantũ principatu declinãda, quorum recens flagrat invidia: ſed in illo, qui vetuſtate coaluit, ac radices egit inſigne prudentiæ civilis præceptũ eſt, mutare mores, leges, etiã perſonas, quorum odio reſp. turbatur: Bellis maxime civilibus quorũ ſæpe ſufflamen fuit, ſubtrahere odia, & illorũ ſubrogatione, quibus amor aliquis aut favor populi, abolere inviſorũ memoriã. Quæ pręcipua cauſa fuit, ob quam Galba ob ſenium & avaritiam populo Romano exoſus contemptuſque Piſonem adrogavit. (*b*) & Agrippina, ne malis tantum facinoribus noteſceret, veniam exilii Senecæ, ſimul præturam impetravit lætum id in publicum rata. (*c*). Et Alphonſus Aragonius, Neopolitanus Rex, ob ſævitiã & avaritiã proceribus juxta ac populo inviſus

(a) *Forſtn. in Ep. ad Scip. Scalig.* (b) *Tac. 1. hiſt.* (c) *Tac. 12 annal. 8.*

invisus regno cessit, idq; in Ferdinandũ filium egregiâ famâ, & virtutibus commendatum transtulit. (a) Quo consilio Philippus quoque Hispaniarum Rex Belgicarum provinciarum dominium in Albertum generum, & Isabellam filiam transmisit, ut abolitâ armorum civilium memoriâ, & extincto Hispanici nominis odio, promptius ad obsequium redirent, & in unum corpus coalescerent totius Belgii civitates.

Non enim se negociorum omnium judicem fore &c.] Omne Principis erga subjectos sibi populos officium expletur pacis, justitiæ & annonæ cura. Verum Princeps non ipse jus dicere, sed per magistratus, viros integerrimos, debet. Tiberio judiciis assidente, quanquam multa eo coram adversus ambitum, & potentium preces constituerentur; tamen dum veritati consulitur, libertas corrumpebatur. (b) Illud maxime tyrannicum est, causas à curia in palatium, ab ordinariis judicibus ad Principis uxorem, & pauca Aulæ mancipia avocare. Tunc enim non modo libertas corrumpitur, sed nec veritati consulitur. Nam cuncta legum & magistratuum munia in se trahens Princeps materiam prædandi patefa-

(a) *Guicciard. Comin.* (b) *Tac. 1. annal. 75. ubi vide nostra.*

patefacit. (*a*) Egregium ergo fuit, quod Nero futuri principatus formam præſcribens, non ſe negociorum omnium judicem fore dixit; ut clauſis unam intra domum accuſatoribus & reis paucorum potentia graſſetur. (*b*) Sed non præſtitit Nero, quod promiſerat: cui ſævienti intimum conſiliorum erat, Poppæa & Tigellinus. (*c*) Quomodo etiam Valerium Aſiaticum, cujus hortis inhiabat Meſſalina, Claudius, & accuſatorem Suilium, nullâ datâ Senatus copiâ, intra cubiculum audivit, damnavitque, ipsâ Meſſalina coram. (*d*) Cæterum de diverſis conſultandi rationibus plura annotabimus ad quintum decimum Analium (*e*).

Nihil in penatibus ſuis vænale] Etiam in Aula mercimonium exercetur ab iis, qui gratiam, qua apud Principem florent, (quid gratiam? ſæpe fumum) aliis vendunt. Qualem Varronium Thurinum fuiſſe Æl. Lampridius memorat: (*f*) & quos in Epiſtola ad Gordianum Cæſarem, generum ſuum deſcribit (*g*) Miſitheus Præt. Præfectus, his verbis: Neque enim quiſquam

(a) *Tac. 11. annal. 5.* (b) *Tac. hic.* (c) *Tac. 15. annal. 61.* (d) *Tac. 11. annal. 2.* (e) *Cap. 61.*
(f) *In Alexandr. Sever.* (g) *Apud Iul. Capitolin.*

quam ferre potuit, datas eunuchis suffragantibus militum præposituras, negatum laboribus præmium; aut interemptos aut liberatos pto libidine atque mercede, quos non decebat; vacuatum ærarium per eos, qui quotidie insidiosissime frequentabant; initas factiones, ut tu deciperetis: cum inter se de bonis pessimi quique haberent consilia tibimet suggerenda, bonos pellerent, detestandos insinuarent. &c.

Teneret antiqua munia Senatus. Consulum tribunalibus Italia & provinciæ assisterent, &c.] Dolus erat, & ars, quod beneficium credi volebat Nero. Senatum judicandis causis occupat, ut ipse liberius dominatione frueretur. (*a*) Ita sensim ex Senatu Curia judicum, ex prætorio tribunal factum est. Vidimus hoc ipso, quo hæc scribo, anno Galliam turbari ea causa, quod Senatus Parisiensis, Rege sub tutela constituto, publicæ rei administrationem sibi attribueret, Rex, Regina-Mater, & Principum quidam juris dicundi tantum munus concederent. Quæ tamen disceptatio nova non fuit. Nam & Henrico IV. (*b*) & Carolo IX. (*c*) & Francisco I. (*d*) Regibus

(a) *Forstn. ad* 1. *annal. p.* 15. *& seqq.* (b) *Rodolph Boteraus in hist.* (c) *Henr. Davila* 3. *hist. bell. civil.* (d) *Bodin.* 3. *de Repub.* 1.

bus eadem cum Senatu controversia fuit.

Se mandatis exercitibus consideturum] Isto consilio Augustus provincias omnes cum populo divisit. pacatas, imbelles, in imperii Romani sinu sitas populo tradidit: in limite constitutas, quæque ob hostium viciniam militaribus copiis egebant, quo exercitus omnes, quibus magnitudinem suam niti sciebat, in sua potestate haberet, sibi retinuit. Qui arma & ærarium in sua potestate habent, summum imperium si non nomine, re saltem obtinent. Quod militum prætorianorum in Romano olim imperio, & hodie apud Turcas Janizerorum exemplo constat. Albertus Fridlandius quantum à summa spe aberat? Postremo, quantum ex Rep. petebatur, cum nuperrime Angli armorum arbitrium Regi ereptum sibi asserebant! Certe Farfaxius & Cromvellus hodie regnum privati obtinent.

CAP. V.

IN *palatium ob id vocabantur, ut astaret abditis à tergo foribus* &c.] V. nostra ad XV. Annal. *(a)*

M CAP.

(a) *Cap.* 61.

CAP. VI.

IGitur *in urbe sermonum avida* &c.] Vulgi mos est ubique se partem reipub. facere, & ferre suffragium non rogatos: maxime ingruente bello Principem & Senatum moræ & cunctationis incusare; eosque qui consilio quam manu cautius quam acrius agunt, importunis querelis in aciē & prælia extrudere: quasi non pleraque in summa fortuna auspiciis & consiliis quam telis & manibus gerantur. Ita anquirunt inter se otiosi, & à seipsis constituti Neronis tutores, quemadmodum princeps vix septemdecem annos egressus suscipere eam molem aut propulsare posset? quod subsidium in eo, qui à femina regeretur? num prœlia quoque & oppugnationes urbium, & cætera belli per magistros administrari possent? Et audito Romæ legionum in Illyrico & Germania motu, trepida civitas incusabat Tiberium, quod, dum patres & plebem, invalida & inermia, cunctatione ficta ludificetur, diffideat interim miles; neque duorum adolescentium nondum adultâ auctoritate comprimi queat. Ire ipsum, & opponere imperatoriam majestatem debuisse. &c. (*a*)

Ple-

(a) *Tac.* 1. *annal.* 46

Pleraque in summa fortuna, auspiciis & consiliis, quam telis & manibus geri.] Tiberius quoque gloriabatur, se novies ab Augusto in Germaniam missum, plura consilio quam vi perfecisse. (*) Quo pertinet comparatio Demetrii Poliorcetæ, & Timothei Atheniensis apud Ælianum. (†) Inde illud quoque est, quod à Macchiavello (†) & aliis observatum est, Venetos bello plerunque inferiores, tractatu pacis amissa recuperasse: & quod Philippus Cominæus tradit (§) in bellis inter Anglos & Gallos, hos acie plerunque, illos pacificatione vicisse.

CAP. VII.

E*Xpedire copias, queis Parthorum fines ultro intrarent*] Sitne hostis domi expectandus, an præventione occupandus plures disceptationibus contrariis ventilarunt, etiam ii, qui bellum & hostem nunquam viderunt. Præcipui, & quibus de ejusmodi decernendi judicium & facultas est, sunt Nicolaus Macchiavellus, (*a*) Jo. Bodinus, (*b*) Jo. Marnixius, (*c*) Renatus Lu-

(*) *Tac. 2. annal. 26.* (†) *Var. hist. 16.*
(†) 8. *Hist. Florent.* (§) 3. *Comment.*
(a) 2. *Disp. ad Liv.* 12. (b) 5. *De Rep.* 5.
(c) 8. *Resol.* 11.

finga, (*) Scipio Amiratus, (†) Michaël Montanus, (‡) & Paulus Paruta. (§)

CAP. VIII.

Videbaturque locus Virtutibus patefa-ctus] Fere miniſtrorum virtus ac gloria principibus imputatur; quod bene eligendo meruerint. Ex miniſtrorum delectu de ipſius principis moribus argumentum capere ſolitum eſt. Vnde inter artes etiam malis principibus fuit, egregios viros, populoque gratos ad rempub. traducere: (a) meritum, non cunabula quærere: & qualis quis ſit, non unde ſatus. Attamen commune principatus & rerumpub. vitium eſt, quietis temporibus negligere virtutem, & pecuniâ ac gratiâ ſubnixos, quam virtute egregios provehere. Philippus Cominæus (b) de ſe teſtatur, plures cognoviſſe ſui temporis principes; at ex iis nullum, qui inter hominem & hominem diſcernere; virtutique honorem habere ſuâ ſponte voluerit. At neceſſitate ingruente, quoſdam magnis præmiis revocaſſe, quos olim contem-ptim

(*) 1. *De increm imp.* 2. (†) 10. *Diſc.* 2. (‡) 1. *Des eſſais*. 47. (§) 1. *Diſcors*. 5. & 6. (a) *Notavi ad* 4. *annal. p.* 372. (b) 1. *Comment.* 12.

ptim rejecerant. Quæ addenda sunt iis, quæ in hanc rem egregie differit Macchiavellus, tertio de Repub. *(a)* & Didacus Saavedra in Symbolis politicis. *(b)* Istam ingratitudinem unum ex duobus consequi solet, ut aut perfidiâ & proditione contemptum ulciscantur posthabiti: quod Comitem Gajazzum fecisse, Guicciardinus testatur: *(c)* aut bello aliisve præpositi negociis, metu privatæ & ingloriæ vitæ, suæ potius potentiæ, suique honoris ac dignitatis perpetuandæ, quam publici boni rationem habeant. *(d)* Neque suos modo cives, sed & exteros officia sua offerentes neglexisse aut rejecisse cum flagitio & periculo sæpe fuit. Licitæ Marchio ex nobilitate Neapolitana, partium Gallicarum, quibus studebat, odio bonis & patria exutus, cum à Cardinali Ambosio, aqud quem domesticæ calamitatis solatium & subsidium quæsiverat, superbe aut contemptim habitus fuisset, ad Consalvum Hispaniensium armorum moderatorem transiit: à quo restitutus, & bellicis admotus muneribus, occasionem nactus est, maximo Gallorum damno ostendendi virtutem, cujus ipsi usum insigni imprudentiâ reje-

[a] *Cap.* 16. [b] *Symb.* 17. [c] 5. *Hist.*
[d] *Vide notata ad* XI. *annal.* 19.

cerant. (a) Federicus Jambellus, machinarum bellicarum summus, ac sine pari artifex, ab Italia in Hispaniam profectus, diu pertentaverat aditum ad Regem, operam suam oblaturus. Sed admissione dilatâ, postremo etiam spretus, ut non erat ab Aulâ subactus ad patientiam; abscessit inde ferox, interminatus, effecturum se, ut spreti hominis nomen aliquando cum lachrymis Hispanus audiret. Inde perrexit Antverpiam ad federatos Belgas, ubi in Hispanorum, urbem paulo post obsidentium perniciem eas fabricavit machinas, quibus ab omni seculorum memoria nihil unquam portentosius auditum fuit; adeo ut multorum opinio fuerit, ex inferorum fornacibus ascendisse ferales ignes; tonitrua & fulgura de cœlo magicis carminibus evocasse; pestilentem halitum ex Avernali lacu attraxisse: & aquam ipsam præter morem & naturam perurentem ex ipsâ Stygia palude derivasse. (b)

Ut famæ inserviret, quæ in novis cœptis validissima est] Quæ huc pertinent quæque alia de fama, utibilia doceri discique interest, tradidi supra ad XII. Annalium. (c) *Ob-*

(a) *Mich. Bauder. in Vit. Cardinal. d' Amboise.*
(b) *Fam. Strada de bell. Belg. dec. 2. lib. 6.*
(c) *Cap. 31.*

Obviam Quadratum habuit, illuc progressum:ne, si ad accipiendas copias Syriam intravisset Corbulo, omnium ora in se verteret] Quibus rerum articulis congredi. Principes, colloquique, aut contra oporteat, haut paullo subtilius, quam vulgo solet, explicabo ad decimum quartum annal.(*a*)

Omnium ora in se verteret, corpore ingens, verbis magnificus, & super experientiam, sapientiamque, etiam specie inanium validus.] Vna res est, quæ auctoritatem, nomen, famam, &, quod consequens est, potentiam conciliat, prudentiæ & fortitudinis excellentia. Illa ubi adest, & vitiorum maculas tegit, & inanibus quoque atque externis robur & pondus addit. Non nocuit Catoni, & defuncto nuper Daniæ Regi, largius interdum mero, neque Augusto & Tito Cæsaribus, & Henrico IV. Galliæ Regi, amoribus indulsisse: neque Vincentio Mantuæ Duci belli ac pacis artibus inclyto, uno aut altero comite totam urbem incustoditum peragrasse: nec illius patri Guilielmo frequentissimo foro pedestrem & inermem obambulare; & ubi lassitudo admonuisset, mercatorum passim officinas tabernasque subire. (*b*) Contra, ubi

M 4 caudex

(a) *Cap.* 29. (b) *Anton. Possevin.* 8. *hist. Mant.*

caudex; aut vervex quidam sceptrũ tenet, levissima quæque, & innoxia curarum laxamenta vitio vertuntur. Comitatus quoque, satellitium, vestis, equi, & cætera Aulæ magnificentia asinum non satis tegunt leoninâ pelle obtectum. Literarum quoque atque eruditionis amor in contemptum abit. (a) Quæ jungenda sunt iis, quæ de authoritatis conciliandæ aut retinendæ rationibus olim scripsi ad secundum Annalium. (b)

CAP. IX.

NEro, *quo componeret diversos, sic evulgari jussit*, &c.] Procerum in Aula, Magistratuum ducumque dissidia, quæ quidem publicis commodis minime obsint, non ita decidenda sunt, ut uni Princeps, damnato altero calculum adjiciat, sed ut utriusque potius honori consulatur; exemplo Neronis, qui ut componeret Quadratum & Corbulonem, sic evulgari jussit, ob res à Quadrato & Corbulone gestas laurum fascibus imperatoriis addi.

CAP.

ad (a) *V. supra ad hunc librum c.* 3. (b) *Cap.* 2. *de Didac. Savedr. Symb. polit.* 31.

CAP. X.

NEque recepti sunt in reos Carinas &c.] V. quæ dicemus paulo infra. (*)

CAP. XI.

CLementiam suam obstringens crebris orationibus] Clementiam utilem esse novum imperium inchoantibus, alibi Tacitus asserit. (a) Et alibi cum Cappadoces regio imperio sueti in provinciæ formam redigerentur, quædam ex regiis tributis deminuta ait, quo mitius Romanum imperium speraretur. (b) Mitissima sors est Regnorum sub Rege novo. (c) Alexander Magnus initio regni immunitatem cunctarum rerum, præter militiæ vacationem dedit. (d) Tacitus hoc loco Neronem clementiam suam crebris obstrinxisse Orationibus testatur: quas Seneca, testificando, quam honesta præciperet, vel jactandi ingenii, voce Principis vulgabat. Inde est quod Jo. Bodinus, sexto de Rep. generaliter tradit; Principis esse initio imperii extraordinaria superiorum Princi-

 pum

(*) *Ad cap. 30. hujus lib.* (a) 4. *Hist.* 63
(b) 2. *Annal.* 58. (c) *Lucan.* VIII.
(d) *Q. Curt.* II. *hist.*

pum tributa aut tollere, aut certe magna sui parte minuere; ac potissimum populo rogante; imo ne rogante quidem. neque Roboami factum imitari; qui juniorum perniciosissima consilia secutus non modo subditorum precibus non acquievit, verum etiam crudeliorem patre se futurum propalam minatus est: ex quo decem populi Israëlitici tribuum defectio secuta est. Ludovicus XII. Galliæ Rex, nulla magis re patriæ patris nomen meruit, quam quod primum novi regni facinus innotuerat, tributorum diminutio, & flagitiosæ militiæ, quæ corruptis moribus gravissima miseris agricolis incubuerat, in antiquam disciplinam reformatio (*a*). Pius V. Pontifex creatus cum moneretur, Romanos antiqui rigoris, & horridorum Pontificis morum metu turbari, Ita me Deus juvabit, inquit, ut populus Romanus plus morti meæ, quam electioni ingemiscat (*b*).

Neque Principibus tantum istius erga subjectos prudentiæ usus fuit, sed & victoribus erga victos. Ita Corbulo nihil Tigranocertis detraxit, quo promptius obsequium integri retinerent (*c*). Iulius II. Pontifex Max.

(a) *Michaël Bauder. in vita Card. Ambos.*
(b) *Boter. par. 2. apopht. lib. 1.* (c) *Tac. 14. annal. 24. ubi vide Not.*

Max. recuperata armis Bononia plurimis cives exemptionibus ornavit, quo Ecclesiastici imperii amantiores redderet (*a*).

Quod apud bonos Principes amoris & benevolentiæ, id apud callidos artis est; privilegiis & immunitatibus plebem demulcere, ut dominationi acquiescat: & cives novis ex rebus aucti tuta & præsentia, quam vetera & periculosa malint.

Infelicis ex adverso necessitatis est illa Principum conditio, qui civium justum & legitimum imperium vel subire novum, vel tolerare antiquum recusantium pertinaciam armis ulcisci, & in victos pro securitate publica legibus animadvertere, adeoque quædam vi tractare coguntur, quo cæteris quies sit (*b*). Qualis Principis vivam nobis imaginem depinxit in Henrico VII. Angliæ Rege prudentissima, qua illius vitam descripsit, historia Franciscus Baconus, Angliæ Cancellarius. Et ipse Nicolaus Macchiavellus, quem tyrannidis architectum plerique credunt, sævas istas securitatis rationes, utut dominanti necessarias, tamen non Christianis modo legibus, sed ipsi humanitati contrarias, iisque privatam vitam longe optabiliorem ingenue fate-

(a) *Guicciard. 4 hist.* (b) *Tac. 1. annal.*

tur (*a*). Ex quibus consequitur, feri simul ingenii, & imprudentis argumentum esse, sævitia ad quam nulla necessitas cogat, & avaritia odium civium pro benevolentia provocare. qualem Tacitus Mithridatem Armeniæ Regem notat, atrociorem, quam novo regno conduceret. (*b*) & Galbam Imperatorem. (*c*) cujus introitus in urbem trucidatis tot millibus inermium militum, infaustus omine, atque ipsis etiam, qui occiderant, formidolosus fuerit. Talem quoque nobis refert Carolum Audacem, ultimum Burgundiæ Ducem; & ab illo Ferretensibus Præfectum datum Petrum Hagenbachium Philippus Cominæus. (*d*)

CAP. XII.

INfracta paulatim potentia matris] Rara est Reginarum Matrum usque ad tutelæ finem perdurans, nec ullis simultatum nebulis turbata potentia: rarior post depositam administrationem modestia: quam retinere satius esset, quam prorogato in annos, quibus sui juris filius est, imperio offensas accersere. Ita apud Neronem infracta paulatim matris potentia. (*e*)

De-

(a) *Disput. ad Liv* 26. (b) XI. *annal.* 9. (c) I. *Hist* 6. (d) 5. *Comment.* 1. (e) *Tac. hic. Cætera vide in Omissis nostris. pag.* 583.

Delapso Nerone in amorem libertæ.] Cum historia Neronis delapsi in amorem Actes libertæ componere licet, quæ Antonius Possevinus in historia Monferratensi de Ferdinando Mantuæ Duce & Camilla Faa scribit. Improbioris licentiæ sunt, quæ Regina Margaritha Valesia in Commentariis de Henrici mariti amoribus narrat. Ludovici Galliæ Regis nuper defuncti erga Facitam & Hautefortiam professam publice dilectionem perpetua morum sanctitas, & Annæ Reginæ præsentia ab omni libidinis suspicione eximunt. Sane conniventibus oculis Tacitus turpitudines istas intueri videtur, muliercula, nulla cujusquam injuria, cupidines Principis explente: & quod metuendum fuerit, ne illa libidine prohibitus in stupra feminarum illustrium prorumperet: quam propter rationem plerisque in locis Lupanaria quoque tolerati notat in libris de Arcanis Rerump. Arnoldus Clapmarius. (a) Ego tamen facilius Burrhum & Senecam, qui fortassis, non minus ac mater Agrippina, quanto fœdiora exprobrassent, acrius accendissent, excusaverim, quam ipsum Neronem, aut publicorum Lupanarium patronos: quippe qui

(a) 4. 19.

qui non ignorem concessam idolorum cultoribus fuisse fornicationem, quam inter Christianismi exordia primi Euangelii præcones singulari lege tollere coacti fuerunt. (*a*) Quanquam & illud negari non possit, privati hominis defensionem esse, amoris vehementia peccasse. principem non amore, non odio, nisi quæ regno conducant, evinci debere. Lotharium Valdrada Teutbergæ, Henricum VIII. Angliæ Regem Anna Catharinæ superinducta perverterunt. Et durabit venturis seculis fama imprudentiæ, qua nuper Carolus Lotharingus, & .... Guisius, Archiepiscopus Rhemensis, ille in Cantacrutiæ Burgundæ, hic in Mariæ Niverniæ amorem delapsus male rebus suis consuluerunt.

CAP. XIII.

NEque pœnitentiam filii, aut satietatem opperiri, &c.] Apud principem sententiæ suæ tenacem, & correctionis insolentem improficua cohercitio est, non ipsi, non suadenti opportuna. quin, dum sibi odium parat, domini pervicaciam auget. Non igitur indecorum modo, sed inutile plerunque, sæpe & perniciosum est, a:tre·

(a) *Act. Apost.* 15.

attrectare quod non obtineatur: (a) & consultius, *pœnitentiam aut satietatem opperiri.* (b) Multa enim sponte omittunt Principes, à quibus nullis dehortantium monitis, nulla intempestiva severitate abstrahi potuerunt. In quem sensum, cum de luxu (inveterato urbis Romanæ, adeoque correctionis incapaci malo) cohercendo, in Senatu ageretur; obstitit Tiberius Imperator, intra animum medendum esse inquiens; addito insigni hoc dicto; Nos pudor, pauperes necessitas; divites satias in melius mutabit. (c).

Tum Agrippina versis artibus] Est impotentis ac imbecilli ingenii argumentum, ab uno extremo ad alterum, à minis ad blandicias, ab arrogantibus jussis ad demissas preces transire. Qua mutatione nihil aliud proficitur, quam ut insidias suspectas habeat, qui paulo ante inimicum animum deprehenderat; aut facilitatem contemnat, qui minis minime motus fuerat.

Dividere filium, qua cuncta ex ipsa haberet] Isti beneficio Nero ignoscere non poterat. Nempe tale erat, cui pro gratia odium redditur. Nemo enim alii regnum debere vult.

Nero

(a) *Tac.* 3. *annal.* 52. (b) *Tac. hic.* (c) *Tac.* 3. *annal.* 54. *adde P. Gregor. Tholos.* 8. *de Rep.* 1.

CAP. XIV.

NEro *demovet Pallantem*] Vſitatum Principibus eſt, iis quos ſuſpectos habent aut inviſos, ſubtrahere opum aut potentiæ inſtrumenta & ſubſidia. Quomodo Nero infenſus iis, quibus ſuperbia matris innitebatur, demovit Pallantem cura rerum, queis à Claudio impoſitus, velut arbitrum regni agebat. (*a*) Idem Nero, Britannicum veneficio ſublaturus, ut proximus quiſque neque fas neque fidem penſi haberet, olim providerat. (*b*) Et Tiberius Syriâ ſubmovit Creticum Silanum per affinitatem connexum Germanico ad res Orientis cōponendas doloſe miſſo. (*c*)

Sane pepigerat Pallas, pares cum Republ. rationes habere] Qui rerum arbitria in Aulis & Rebuspub. aut accipiunt, aut ſibi ipſi ſumunt, ea quoque ſæpe prærogativa gaudent, ut à ſe geſtorum, impenſarum quoque rationem nemini reddant. Pallas, de quo hoc loco Tacitus, pacto ſibi providerat, *ne cujus facti in præteritum interrogaretur: pareſque rationes cum Republ. haberet.* Florentinos Macchiavellus ſcribit (*d*) in bello

(a) *Tac. hic.* (b) *Tac. 13. annal.* (c) *Tac. 3. annal. 43.* (d) 3. *Hiſt.*

bello cum Gregorio XI. Papa, VIII. viros bello administrando creasse cum potestate statuendi sine provocatione, & administrandæ pecuniæ publicæ sine onere reddendi rationes. Eandem sibi libertatem attribuisse sub Ludovico Rege Conestabilem Galliæ S. Pauli Comitem Philippus Cominæus (a) testatur; & nostris temporibus Albertum Fridlandiæ Ducem Petrus Baptista Burgus (b) asserit, ita cum Ferdinando Cæsare pepigisse, ut belli curam solus & sine arbitro haberet, hyberna militibus distribueret, tributa, commeatus, quæque alia bello necessaria, exigeret, tribunos, centuriones ipse crearet. Quod si quando Cæsari Fridlandio imperium abrogare placuisset, uti tunc Cæsar Fridlandium ea de re sex menses ante certiorem faceret; neque deinceps ipse ad reddendam administratæ provinciæ rationem teneretur.

Agrippina ruere ad terrorem & minas] Principes nolunt terrore ac minis vinci. (c) Et plerunque exitium sibi inveniunt, quicunque heris terrori esse volunt: (d) maxime ubi minæ ac metus intentatus destruere fortunam principis, ac convellere secu-

(a) 3. *Comment.* 11. (b) 3. *Hist. de bell. Suec.*
(c) *Tac.* 1. *annal.* 29. (d) *Cominæ.* 3 *Comment.* 2.

ſecuritatem publicam videntur. Qualis iſta Agrippinæ furioſa Oratio fuit. quæ privignumBritannicum veram dignamque ſtirpem ſuſcipiendo patris imperio, inſitum Neronem, nuptias; veneficium, caſtra, ſua alienaque facinora crepabat. (*a*) Similem Comitis S. Pauli Galliæ Coneſtabilis væſaniam deſcribit Philippus Cominæus: (*b*) qua Regis odium, & poſtremo ſibi exitium accerſivit. (*c*) Idem Henrico Guiſio accidit, quem non ante timere Henricus III. Rex deſiit, quam juſſu ſuo cæſum in comitiis Blœſenſibus vidit. (*d*) Nicolaus Piccininus cum meritorum confidentia à Philippo Vice-Comite Placentiam laborum præmium peteret, additis minis abiturum ſervitio, niſi votis annueret, tantum abfuit, ut Philippus moveretur, ut potius duxerit, cum Franciſco Sfortia genero (tum hoſte) in gratiam redire, quam amico tam arroganti morem gerere. (*e*) Caſpar Colignius, factionis ſuæ nomine Franciſco II. Regi libellum ſupplicem obtulit, à nemine ſubſcriptum, publice proteſtatus, centum quinquaginta mille homines, ubi opes fuerit, ſignaturos. Quæ jactantia tantum

(a) *Tac. hic.* (b) 3. *Comment.* 11. (c) *Comin.* 4 *Comment.* 12. (d) *Thuan. Davil.* (e) *Macchiav.* 6. *hiſt. Flor.*

tum abeſt, ut metum Regi ac regni moderatoribus Guiſiis incuſſerit, ut indignationem auxerit, potius: *(a)* quæ deinde ſub Caroli fratris regno in exitium Colignii erupit. Res eo redit, ut miniſtro & ſubdito amari à domino, quam metui tutius ſit. *(b)*.

Exul Seneca profeſſoria lingua generis humani regimen expoſtulans] A feminea ira ſunt, quæ convicia Agrippina in Senecam ingerit; virum magnum, & multarum rerum experientia cognitum * etiam antequam pueritiæ Neronis admoveretur. In univerſum tamen etiam Satyrica nota *(c)* eſt, adoleſcentes in ſcholis ſtultiſſimos fieri: quia nihil ex iis, quæ in uſu habemus, aut audiunt, aut vident. Quo fit, ut tria præcepta politica, quæ à magiſtris attulerunt, tanquam unum calceum omni pedi aptantes, & ſtulta opinione tumidi ſua ſapientia octidui ſpacio omne mortale genus ad aurei ſeculi innocentiam refingi poſſe arbitrentur: ignari, *vitia fore donec homines*; (d) *& indecore attrectari, quæ non obtineantur.* (e) Simili præterea obſervatione conſtat, plerunque infauſtam fuiſſe illorum in rep.

(a) *Davil. 1. hiſt.* (b) *Comin 3. Comment ult.*
* *Tac. 13. annal. 6.* (c) *Petron. Arb. Satyr.*
(d) *Tac. 4. hiſt. 74.* (e) *Tac. 3. annal. 52.*

rep. gerenda operam, qui Principum pueritiam olim moderati eandem authoritatem in re longe dissimilima exercent; facili Principe, idoneos credere populis regendis, quos studia & mores suos rexisse meminit. Ast illi studiis inertibus, & juvenum imperitiæ sueti, inscitia plerunque injuncti muneris, fastu deinde & pervicacia prudentioribus infesti Aulam calumniis turbant, dominum pravis consultis perdunt. Qualem Sosilium, qui Britannicum præceptis, Claudium consiliis juvaret, Tacitus, (*a*) & Anicetum Neronis pædagogum Suetonius, (*b*) & Stephanum Versium apud Carolum VIII. Galliæ Regem fuisse Cominæus (*c*) tradit. Tutius est negotia committere magistratu perfunctis, & experientia probatis. (*d*)

CAP. XV.

ORta miseratio] Vide quæ nos olim ad tertium Annal. (*e*)

Parari venenum jubet] Insignia veneficiorum exempla extant apud Tacitum hic, & libro superiori: (*f*) alia apud Cominæum

(a) *Tac.* 11. *annal.* 1. *&* 4. (b) *Suet. Ner. c.* 35. (c) *Initio lib.* 7. *Comment.* (d) *Tac.* 13. *annal.* 29. (e) *pag.* 271. (f) *c.* 66. *& seq. & hoc eodem lib. cap.* 1.

næum (*a*) Antonium Poſſevinum (*b*) Pandulphum Collenutium (*c*) Nauclerum. (*d*) Quibus adde quæ nos in Not. ad tertium Annal. (*e*) ubi præterea de cautionibus adverſus venena commentati ſumus.

Locuſta, multa ſcelerum fama] Vide Notata ad XII. Annal. (*f*)

Vt proximus quiſque Britannico neque fas, &c.] Vide ſupra dicta ad hujus libri caput XIV.

Nero lenti ſceleris impatiens] Eſt ſua improbitati & ſceleribus differentia: quorum quædam verecundiæ aliquid habent, dum famam verentur, rumorem circumſpiciunt, defenſiones parant. (*g*) Sunt alia, quæ *ſpreta præſentium invidia* (h) *incipiuntur cum periculo, peraguntur cum præmio:* (i) *quæque non laudantur, niſi peracta:* (k) *à quibus, niſi à filia mater abſolvi non poteſt;* (l) in quibus denique judicatur *ſatius, patrati quam incepti facinoris reum eſſe.* (m) Illa cunctantur: hæc per omnia præcipitia de-

(a) 6. *Comment.* 13. *de Ladiſlao Boh. R.*

(b) 6. *Hiſt. Mantuan. pag.* 608. *& ſeq.*

(c) 5. *Hiſt. Neapol. de Ladiſl. Neap. R.*

(d) *Chronogr. gener.* 44. *de Henr. VII. Imp.*

(e) *Pag.* 259 *& ſeq. & in Omiſſis ad eund. locum.*

(f) *Cap.* 66. (g) *Tac. hic.* (h) *Tac.* 12. *annal.* 67. (i) *Tac. ibid.* (k) *Tac.* (l) *Tac.* 13. *annal.* 21. (m) *Tac.* 2. *annal.* 65.

decurrunt: Illa occulta via carptim & per intervalla progrediuntur: hæc aperta vi grassantur,& semel ac simul obstantia corripiunt,evertuntque. Illa usurpantur,dum tegi consilia occultarique posse spes est: at flagitiis manifestis subsidium ab audacia petitur, & imminentium periculorum remedium ipsa pericula censentur. (*a*) Neque enim cessandum esse *ubi periculosior sit quies quam temeritas*. (b) Denique inter ancipitia teterrimum æstimatur, media sequi. (*c*) Ex quo constat,verissimũ esse quod C. Plinius scribit,(*d*) minorem vim bonis quam malis inesse: & recta ingenia debilitari verecundia, perversa confirmari audacia.

CAP. XVI.

MOs *habebatur, Principum liberos vesci*, &c.] Μονοφαγίαν Principum reprehendit Piccartus in observationibus. (*e*)

Cibos potusque delectus ex ministris gustu explorabat] v. Notata in omiss. ad tertium Annal. (*f*)

Sibi supremum auxilium ereptum] Hæc à superioribus lumen mutuantur, ubi Agrip-

(a) *Tac.* 11. *annal.* 26. (b) *Tac.* (c) *Tac.* 3. *histor.* 40. *ubi vide adde Macchiav.* 1. *disput. ad Liv.* 27 (d) 4. *Epist ad Aul. Lepidum.* (e) *Dec.* 17. *c.* 6. (f) *Pag.* 573.

grippina declamabat; Id solum Diis & sibi provisum, quod viveret privignus, & quæ sequuntur.

Dolorem, caritatem, omnes affectus abscondere didicerat] Quomodo C. Cæsar Caligula non damnatione matris, non exilio fratrum rupta voce (*a*) Tiberii Imperatoris sævitiam evasit.

CAP. XVII.

NOx *eadem necem Britannici, & rogum conjunxit*] Quia veritas visu & mora, falsa festinatione & incertis valescunt. (*b*) inde Nero eadem nocte necem Britannici & rogum conjunxit. Idem eandem propter causam matrem suo jussu cæsam cremavit eadem nocte convivali lecto; & vilibus exequiis; (*c*) subtrahenda oculis acerba funera, neque laudationibus aut pompa detinenda prætexens. (*d*) Tiberius quoque malis artibus, quibus Germanicus periit, innexus nimiis accusatorum studiis succensere se dicebat. Nam quo pertinuit, inquit, *nudare corpus*, & contrectandum vulgi oculis permittere, differrique etiam per externos, tanquam veneno interceptus esset? &c. (*d*) *Anti-*

(a) *Tac. 6. annal.* 20. *v. notas ad 2. annal. pag.* 208. (b) *Tac. 2. annal.* 39. (c) *Tac. hic.*
(d) *Tac. 3. annal.* 12.

Antiquas fratrum discordias, & insociabile regnum] Vide quæ ad quintum decimum annalium (a) notabo.

Illusisse pueritiæ Britannici Neronem] Ab eodem Aulum Plautium juvenem ante mortem per vim constupratum Suetonius scribit. (b) Idem Cæsarii Borgiæ scelus in Astore Manfredo perpetratum narrat Guicciardinus quinto historiarum.

Festinationem exequiarum defendit] Vide quæ paulo supra ad initium capitis.

CAP. XVIII.

L*Argitione potissimos amicorum auxit*] Observatione constat, malos Principes post insignia scelera perpetrata, tanquam illorum aboleri infamia posset, facilitate, clementia, munificentia clarescere studuisse. Ita Nero sceleris sibi conscius veniam sperabat, si largitionibus validissimum quemque obstrinxisset. & Tiberius pudore absolutæ Plancinæ placabilior M. Pisoni damnati patris bona concessit. (c) Vt tyranni scelera, ita boni quoque Principes suorum fidem largitate redimunt. Gui-

(a) *Cap.* 2. (b) *Suet. Ner. cap.* 35. (c) *Tac.* 3. *annal.* 18. *ubi vide nostra. p.* 271.

Guilielmus Mantuæ Dux Monferratensibus parum fidens, non alio certiori vinculo contineri in officio credidit, quam si nobilitate & authoritate apud populares validos donis ac liberalitate illigasset. (*a*)

Pecunias quasi in subsidium corripiens] Tanquam belli civilis, quod struebat, nervos. (*b*) Eodem sensu superiori libro: (*c*) cupido auri immensa obtentum habebat, quasi subsidium regno pararetur. Et eodem consilio Julium II. Pontificem accumulandis opibus incubuisse Franciscus Guicciardinus in historia (*d*) testatur.

CAP. XIX.

Nihil rerum mortalium tam instabile ac fluxum est, quam fama potentiæ non suâ vi nixæ. Statim relictum Agrippinæ limen. Nemo solari, nemo adire] Frequentia hujusmodi tragœdiarum in Aulis, & crebræ humanarum rerum vices, omnem ejusmodi mutationum admirationem sustulerunt. Gratia Domini sæpius quam virtus & merita sustinent ministrorum potentiam: quæ ubi nutat, quos adorari paulo ante, manibusque ferri conspeximus,

N momen-

(a) *Anton. Possevin. hist. Monferr. pag.* 36.
(b) *Tac.* 2. *hist.* 84. (c) *Cap.* 7.
(d) *Guicciard. initio* 7. *hist.*

momento deseri, contemni, & veluti pedibus omnium atteri conculcarique videmus. Egregium hic documentum hujus rei occurrit in Agrippina. Simile extat XI. Annal. de Messalina. Aliud de Luca Picto Florentino apud Macchiavellum septimo historiæ Florentinæ: aliud de Caraffa Cardinali, Aulæ Romanæ & ipsius Pontificis Moderatore apud Jo. Baptistam Hadrianum decimo quinto historiarum. Nos eundem ludum ludi cum Olivarezio in Aulâ Hispanicâ paulo ante vidimus.

Insignis genere, formâ, lasciviâ] Gallica Aula nuper habuit summâ gratiâ florentem, ac deinde Belgium & Anglia quasi exulem, quæ huic Juniæ Silanæ ex asse respondeat.

Inter Agrippinam & Domitiam infensa æmulatio exercebatur,] Quia Domitia parem sibi generis claritudinem credebat: nec forma, ætas, opes multum distabant: & utraque impudica, infamis, violenta, haut minus vitiis æmulabantur, quam si qua, ex fortuna, prospera acceperant. Enimvero certamen acerrimum, amita potius an mater apud Neronem prævaleret. (a)Muliebris sexus maxime proprium est, æmulari. Non capit una regia duas reginas,

(a) *Tac.* 12. *annal.* 64.

nas, aut quæ reginarum instar sunt. Æmulationes exercebat Agrippina cum Domitia: (*a*) cum Junia Silana: (*b*) cum Lollia Paulina. (*c*) Barbara Brandemburgia cum Rengarda de Cotte in aula Mantuana: (*d*) & Francisci Mantuani amita Ferrariensis cum ejusdem viduâ, Margaritha Sabaudia. (*e*) Narratum quoque scio, in præcipua quadam Italiæ regia, uxorem Principis, & prædecessoris viduam à rixa ad verbera progressas crepidis sibi os invicem contudisse.

Crimen atrociter deferre.] Sycophantarum ars est, *metus Principis rimari*: (*f*) & ludis, convivio aliisque curarum relaxamentis intentum atrocibus nuntiis delationibusque tanquam fulmine percellere. Præter id, quod hoc loco refertur, hujus rei documentum, illi plane simile (quanquam in delatione rei minime falsæ) extat XI. Annal. de Narcisso liberto, Claudio inscitiam erga domum suam, & Messalinæ uxoris flagitia per duas pellices aperiente: quarum una, cui Calpurnia nomen, ubi datum secretum, Cæsaris genibus provoluta,

(a) *Tac. d. loc. & hic.* (b) *Tac. hic.* (c) *Tac. 12. annal.* (d) *Possevin. 5. hist. Mantu.*
(e) *Possevin. hist. Monferr.* (f) *Tac. 14. annal. 57.*

luta, nupsisse Messalinam Silio, exclamat. Simul Cleopatram, quæ idem opperiens adstabat, an comperisset? interrogat: atque illâ annuente, cieri Narcissum postulat. Is an dissidium suum nosceret Claudius? quærit. Nam matrimonium Silii, inquit, populus vidit, & Senatus, & miles. ac ni propere agis, tenet urbem maritus. Isto compositæ fabulæ ariete supplicium uxoris ignavo stipiti extorsit Narcissus. *(a)* Graptus libertus, usu & senectâ domum principum à Tiberio usque edoctus, metum Neronis ex Cornelio Sylla mendacibus insidiis intendit. *(b)* Aliam huic non absimilem de Ludovico quodam Bononiensi, & Julio Salvo Senensi recitat in historia*(c)* Jo. Baptista Hadrianus: & aliam in Commentariis *(d)* Margaritha Valesia Franciç Regina: aliam item Henricus Davila de Claudio Duce Guisio Francisco Regi puero eos metus incutiente, ut unicum instantium periculorum remedium creditum fuerit, omnem Regis potestatem in Guisium transferre. *(e)*

CAP.

(a) *Tac. 11. annal. 29. & seqq.* (b) *Tac. 13. annal. 47.* (c) *Lib. 3.* (d) *Pag. 38.*
(e) *1. Hist. bell. civil.*

CAP. XX.

P*Rovecta nox erat, & Neroni per vinolentiam trahebatur: cum ingreditur Paris. &c.*] Vides ut hic per concubinum Adrimetum & histrionem Paridem Silana, & apud Claudium per duas pellices, quarum Claudius corpori maxime insueverat, Narcissus calumnias, & pericula quasi scenæ fabulas componant. Princeps illis potissimum Optimatibus fidem habere debet, quorum consiliis utitur, per quos præcipua publicæ rei momenta procurat, quibus denique externas res atque civiles credit. Nunc pessimo more fit plerunque, ut nemo apud ignavos præcipue Principes valeat, nemo plus possit, quam qui in cubiculo Principis assidue versantur, qui cubitum eunti, & ex strato surgenti ministrant, qui denique cacaturienti auream laternam præferunt.

Ut Burrhum etiam demovere præfecturâ destinaret, tanquam Agrippinæ gratiâ provectum] Quotidianus fortunæ lusus! ut quemadmodum cum magna arbor à vento aut securi dejectâ prociderit, minores circa se late prosternit; ita eversâ illius potentia, qui Rege & regno potiebatur, u-

 nius

nius ruina omnes, qui illius favore & gratiâ provecti fuerant involvat, & in præcipitium secum trahat.

Cuicunque defensionem tribuendam] Quis enim innocens erit, si accusâsse sufficiat? (*a*) Non utendum est imperio, ubi legibus agi potest. (*b*) Inde Cingonium Varronem & Petronium Turpillianum *inauditos atque indefensos, tanquam innocentes periisse* Tacitus ait. (*c*) Et justissima est Saxonum querela contra Henricum Cæsarem apud Andream Brunnerum. (*d*) Quid querimur, inquiunt, patronos nobis defuisse? etiam judices negati sunt: neque infimum misericordiæ genus impetravimus, ne moreremur indemnati. Ignoscimus, quod nullum asylum nobis reliquit ira principis. tribunal aperuisset: quosque clementiâ indignos putavit, radio justitiæ perstrinxisset. Vltimum solatium perituri rogavimus; exitii causam: quæ etiam crucem meritis per præconem dicitur: nec latronem carnifici damus, nisi qui facta de se arbitria approbavit; agnovit certe. O nos perditos & afflictos, si, cum ituros in rotam hac reverentiâ dignamur; Saxoniæ, pulcherrimæ pro-

[a] *Iulian. Cæs. apud Ammian. Marcell.*
[b] *Tac. 3. annal. 69.* [c] *Tac. 1. hist. 6.*
[d] 11. *Annal. Bojor.*

provinciarum, ſine prætore pereundum eſt, & tot millia civium ne in ſepulchrum quidem alium titulum habent, quam quod impenſi crudelitati regiæ ſint. &c.

Accidit tamen plerunque, ut Principes ſuſpicionibus proniores, quæcunque ad illos deferuntur, illa maxime, quibus ſecuritatem ſuam periculo exponi arbitrantur, vera, falſa; comperta, incerta nullo diſcrimine admittant, puniantque: unde quidem calumniarum licentia, & multiplices injuſtitiæ ſinus panduntur, quibus privatorum vita ac fortunæ periclitantur. Sed juſtiſſimâ Numinis vindicta etiam ipſi Principes ſuę credulitatis pœnam ſentiunt; ſuſpicioſi, ſoliciti, inquieti, atque adeo perpetuo miſeri. Ut non plane ſine cauſa Philippus Cominæus (*a*) poſtquam Ludovicum XI. ante ſuum fatum ſuâ opinione mortuum, Carolum VII. Veneni metu quaſi inediâ extinctum, Carolum VI. diverſis ſuſpicionibus agitatum mente exciđiſſe narraſſet, cauſam in univerſum, cur à Caroli Magni ævo, uſque ad ſua tempora nullus Franciæ Regum ſexageſimum vitæ annum exceſſerit, iſti ſuſpicandi credendi metuendique morbo adſcribat. Quanto ſatius eſſet, ſiſtere delatores, calumnia-

(a) 8. *Comment.* 13.

rum nebulas diligenti discussione ventilare, sibi metum, innocentibus periculum, sycophantis audaciam demere. Quod tantum abest, ut fiat, ut stulti quidam Principes delatoribus pacti prius silentii fidem, quam bonis viris salutem & incolumitatem debere se putent.

Duos tamen excipi articulos video, quibus contemnere prolixam judiciorum religionem,& gladio dissolvere legum nodos, atque adeo non crimina, sed criminum suspiciones punire licere videtur. Primum notat Trajanus Boccalinus (a) in liberis Rebuspub. exiguam umbram, leve indicium, suspicionem etiam minimam & longe accersitam affectatæ tyrannidis non cavillationibus causidicorum, neque verborum pigmentis differri, sed promptâ pœnâ vindicari debere. Ego vero non video, quare, si tueri libertatem Reipublicæ isto modo licet, salutem Principis non liceat? aut cur, si Princeps veritatis ante quam pœnę rationem habere debet,Resp. non debeat. Alter est, cum conspirationum audaciâ, in eum statum res devenit, ut aut Principi pereundum sit, aut conjuratis, eaque illorum potentia sit, ut quamvis de perduellione constet, nec capi sine periculo,

(a) *Cent.* 1.*c.* 18.

riculo, nec teneri tuto, nec legibus cum iis agi possit, sive in principatu id accidat, sive in libero civitatis statu: sane occupare scelus & perdere, ne pereas licet. Hoc modo A. Cæcinam, consularem virum vocatum ad cœnam, vixdum triclinio egressum confodi jussit Titus Cæsar; urgente discrimine: cum etiam chirographum ejus præparatæ apud milites conjurationis deprehendisset. (*) Eadem ratione Henricus III. Galliæ Rex Guisiorum fratrum cædem Cardinali Mauroceno, & per eum Pontifici excusavit: (†) & Albertus VVallenstenius Egræ isto prætextu trucidatus fuit.

CAP. XXI.

Q*Uasi scenæ fabulas componit*] Etiam illud ingeniosum scelus invenit, ut quos judiciorum rigore condemnare non potest, velut in scena & theatro per ludum perdat. Socratis innocentiam omnibus tribunalibus superiorem poeta scurra Aristophanes in scena primus traducere ausus est, accusatoribus Anyto sociisque eo modo præludens. (a) Titus Cæsar suspectissi-

 mum

(*) *Sueton. Tit. c. 6.* (†) *Henr. Davil 9. hist. bell. civil.* (a) *Ælian. 1. Var. hist. 13.*

mum quemque ſibi, ſubmiſſis qui per theatra & caſtra quaſi conſenſu ad pœnam depoſcerent, oppreſſit. (*)

Crimina, quibus niſi à filio mater abſolvi non poſſint] Vid. Not. ad cap. xv. hujus libri.

Colloquium filii expoſcit.] V. Not. ad xi. Annal. c. xxxii.

Ultionem in delatores, & præmia amicis obtinuit] Periculoſum eſt magnis inimicitiis clareſcere; (†) & capitalis audacia, laceſſere potentiores. Id quod Æſopus ſapienti fabulâ de colliſis inter ſe ollis, aheneâ, figlinâque docuit. Et præter Iturii Calviſiique, etiam ſequenti capite Pæti exemplum demonſtrat; Burrhum accuſantis: qui quanquam reus inter judices ſententiam dixit. & accuſatori exilium irrogatum.

CAP. XXIII.

NIhil unquam ſe domi, niſi nutu aut manu ſignificaſſe] Vide quæ Freinshemius ad Q. Curtii ſextum hiſtoriarum. (a)

CAP.

(*) *Sueton. Tit. c. 6.* (†) *Tac. 2. hiſt. 53.*
(a) 6. 11. 3.

CAP. XXV.

N*Ero itinera urbis, & lupanaria, & diverticula pererrabat*] Similis lasciviæ ac petulantiæ exempla passim in historiis leguntur. Quod Nero per licentiam & lasciviam, id prudentes quoque Principes, ut sui & ministrorum famam noscerent, fecerunt. (*)

Quasi exprobrasset, mori adactus est] Injuriarum à Principe acceptarum unicum remedium est, *non intelligere*. (†) quin & tanquam pro beneficio gratias agere. (‡)

CAP. XXVI.

T*Ribuendum aliquod telum quod sperni nequeat*] Satius est nullas ferre leges, quam quæ contemni possint, aut debeant. Muniendæ sunt pœnis, quæ sperni nequeant. Prima igitur Legislatoris inspectio esse debet, ut hominum naturæ, atque ingenio, atque isti, in quo vivit, seculo, commoda, congruaque lex sit, neque ea jubeat, quibus *jam pares non sumus*. (a) Altera, ut pœnæ metus constringat, quos

(*) *Vide Boter.* 1. *della rag. di stat.* 17. (†) *Tac.* 14. *annal.* 6. (‡) *Tac.* 14. *annal.* 56. (a) *Tac.* 1. *hist.*

amor legum, & obsequii non retinet. Tertium, ut perpetuâ observantia semel placita custodiantur: contra quam plerunque fieri solet, ut plura sanciantur admodum æqua; *Ostentui magis, quam mansura*; (*) quæ brevi servata, dein frustra habentur: (†) acribus initiis, incurioso fine. (‡)

CAP. XXVIII.

IMago Reipub.] Simulachra libertatis. (a) de quibus, quod satis, disseruimus, ad primum annal. (b)

CAP. XXX.

D*Amnatus iisdem consulibus Vipsanius* &c. *Absolutus Cestius.* &c.] Dum rigida apud Veteres ac inconnivens legum, morumque custodia vigebat, ut sua virtutem prœmia, ita delicta certa pœna manebat. At istis, quibus hodie vivitur, moribus, uti nullum virtuti precium, ita crimina, vi, ambitu, pecuniâ tuta sunt. Certe apud prudentes in ancipiti habetur, repetun-

(*) *Tac.* 1. *hist.* 78. (†) *Tac.* 13. *annal.* 51. (‡) *Tac.* 6. *annal.* 17. *adde Boccalin. cent.* 1. *cap.* 5. *&* *cap.* 14. (a) 1. *Annal.* 77. (b) *Verba:* Ea dem Magistratuum vocabula.

petundarum,aliaque magiſtratuum delicta negligere potius ſit,an punire.Quippe connivere injuriis, neque juſtitiæ, neque prudentiæ convenit; & rurſum promiſcuas accuſationes admittere, magiſtratuum honorem proſtituit, principis judicium condemnat,& calumniis innocentiæ ſtruendis viam aperit. Carolus Oiſellus inſignis JC. Gallus *(a)* non abſurde diſtinguit inter illos,qui ærario, fiſcoque, & qui juſtitiæ adminiſtrandæ præſunt. Illorum peculatum ſemper & publice, horum delicta ita punienda, ne ipſi dignitati honor & reverentia pereat. Placet quoque Ferdinandi Mantuæ Ducis temperamentum, qui remoto Carolo Rubeo à Montisferrati adminiſtratione, Ferrantem Caroli patrem ſucceſſorem dedit:ſic honori filii, exiſtimationi generis conſultum credens, ſi amoto filio dignitas transferretur in patrē. *(b)* Philippus I·I I.Hiſpanię Rex, InoioſęMarchioni apud ſe accuſato permiſit ſucceſſorē poſtulare:ut abire Mediolani pręfecturâ,nō pellį videretur.eâ ratione ſuę & miniſtri famę cōſulēs. *(c)* P.Celerē Nero Cęſar,accuſāteAſia,quia abſolvere nequibat; traxit ſenectâ, donec mortem obiret. *(d)*

Voluſius

*(a) Lib.1.des offices.c.*14 (b)*Poſſev.Hiſt.bell.Monf. p.*333.(c)*Poſſev.hiſt.Mōſ.p.*481.(d)*Tac.*13.*ann.*33.

Volusius egregiâ famâ concessit] Quanquam apud malum principem non minus periculum sit ex magna fama, quam ex mala. (*)

Præcipuaque opes] Quæ apud tyrannum pro crimine sunt. (§)

Inoffensa tot Impp. *malitia*] Quod quâ dexteritate, quibusque artibus contingat, Cn. Agricolæ soceri sui (†) & Manii Lepidi (‡) exemplis docet Tacitus.

CAP. XXXII.

L*Onga huic Pomponiæ ætas, & continua tristitia*] Quibus parallelas historias annotare volupe est, cum hac Pomponia Isabellam Aragoniam Mediolani Duci nuptam haut inepte contendent. (*a*)

CAP. XXXIII.

M*Agnitudine sceleris cætera flagitia obtegebat*] Vt severitatem legum, & flagitiorum pœnas evitent facinorosi, suam Principi operam addicentes jussa scelera impigre exequuntur; præter impunitatem olim admissorum sæpe virtuti debita

(*) *Tac. Agric.* 5. (§) *Tac.* 1 *hist.* 2. (†) *Agric. cap.* 42. (‡) 4. *Annal.* 20. (a) *V. Iov. Elog. Comin. Comment.*

bita prœmia flagitiosis obsequiis adepti, Accidit tamen haut raro, ut perfecto demum scelere principes magnitudinem ejus intelligant; (*) & graviorum facinorum ministros tanquam exprobrantes adspiciant; (†) puniantque. Quod argumentum tractavi ad primum annalium (‡) & porro tractabo ad XIV. (§)

CAP. XXXIV.

A*Ut alienæ id potentiæ donum habere*] Vide Nostra ad XV. Annal. (*a*)

Armenii ambiguâ fide utraque arma invitabant. &c.] De iisdem Tacitus secundo Annalium. (*b*) Ambigua gens ea antiquitus, hominum ingeniis, & situ terrarum; quo nostris provinciis late prætenta penitus ad Medos porrigitur: maximisque imperiis interjecti, & sæpius discordes sunt; adversus Romanos odio; & in Parthum invidiâ. Similia de Armeniis tradit Ammianus Marcellinus vicesimo septimo, & tricesimo historiarum. Ego in omissorum libro (*c*) iis Hungaros, Transylvanos, Moldavos præterea & Valachos comparavi.

Postremo

(*) *Tac.* 14. *annal.* 10. (‡) *Tac.* 14. *annal.* 62.
(†) *Cap.* 6. (§) *Cap.* 62. (a) *Cap.* 29.
(b) *C.* 56. (c) *P.* 564. *& seqq.*

Postremo omnes omnino populos, principesque isto terrarum positu, quem hic Tacitus notat, ut finibus & limite, ita animis quoque utrinque varie favere, & consilia, amicitiasque, prout conducit, hinc inde transferre, certissima observatione constat. Germaniæ Principes, interque illos Serenissimus potissimum Saxoniæ Elector, nunquam adeo arcto federis, amicitiæ, obsequii vinculo domui Austriacæ adhæserunt, ut à Suecia ac Gallia assurgentem recuperandæ libertatis spem excluserint: nunquam tamen novorum federum religionem, alienaque commoda, antiquæ erga Austriacos reverentiæ, suæ utilitati, pacique & tranquillitati publicæ prætulerunt. Quod præter Henrici II. Galliæ Regis cum Protestantibus, (a) etiam superiorum annorum cum Gallis Suecisque pacta federa clare demonstrant. Eundem animorum habitum in Italiæ principibus deprehendere licet: quorum arma, federa, amicitia, Hispanis æque ac Gallis sēper ambita, illi perpetuo prompta parataq; erunt, quem præsentis status, pacisq; ac quietis studiosiorē, proferendiq; imperii minus curiosū credēt. Nunquā igitur vel Mediolano Gallos potiri, vel Casale retine-

(a) *Sleidan. Thuan.*

retinere, neque viciſſim Hiſpanos novis incrementis grandeſcere æquo animo patientur Itali. (*a*) Inter Italiæ Principes præcipui Sabaudiæ Duces, Italiæ Ianitores, provinciarum ſitu, & ſanguinis vinculo Gallis æque Hiſpaniſque nexi ſemper amicitias ſibi utiles ſecuti ſunt; nunc harum, nunc illarum partium. (*b*) Sabaudis ut viciniâ ita conſiliis proximi Rhætorum populi, infidam Gallorum juxta ac Hiſpanorum amicitiam experti, eam ſemper expetunt, quam contra potentioris vim ac inſidias ſibi conducere arbitrantur; ad alterum tranſituri, quoties exutâ patroni cura prædonis animum alter induerit. (*c*) Poſtremo quantum belli regnique ratio in animis hominum poſſit, etiam federatarum Belgii provinciarum exemplo conſtat: quæ ſuperioribus annis, cum Lovanium ſociis exercitibus obſideretur, (*d*) & nupero tractatu Monaſterienſi plus à federatis Gallis, quam

(a) *Guicciard. paßim. Galeat. Guald..* 14. *hiſt. p.* 957. *& ſeqq. p.* 987. *& ſeqq. & lib.* 11. *hiſt. p.* 722. *& ſeq.* (b) *Vide Marchion. Virgil. Malvezzi, in hiſtor. anni* CIↃ. IↃC XXXIX. *p.* 23. *& ſeqq. Galeat. Guald.* 10. *hiſt. p.* 635. *& ſeqq. & p.* 648. *& ſeq. & p.* 676. *Poſſevin. in hiſt. Monferr. paßim. Capriat. in hiſt. paßim.* (c) *V. Guald.* 13. *hiſt. p.* 843. *& ſeq. Henr. Duc Rohan. Apolog.*
(d) *Ann.* 1635. *v. Guald.* 10. *hiſt. p.* 658.

quam ab Hiſpano hoſte ſibi metuentes, cum hoc quamvis multa clade attrito, debilitatoque pacem facere, quam cum illis Victoriarum curſui inſiſtere maluerunt.

CAP. XXXV.

Corbuloni plus molis adverſus ignaviam militum, quam contra perfidiam hoſtium erat] De diſciplinæ militaris uſu, neceſſitate, exemplis plurima paſſim congeſſerunt, & queis belli ac armorum peritia, (*a*) & qui literarum tantum gloria valentes etiam ad hoc argumentum ingenium curamque extendere voluerunt. (*b*) Mihi civiles tantum ac pacis artes excolere perpetuo propoſitum fixumque erit. A quo tamen propoſito alienum non erit Pauli Jovii judicium, cauſam, cur noſtri ſeculi duces antiquis concedant, corruptæ diſciplinæ tribuentis, ipſius verbis adſcribere: (*c*) Quod ſi Romana res, inquit, ſtetiſſet incolumis, veteriſque militiæ diſciplina ad hunc uſque diem incorrupta perveniſſet, nec interea diræ factiones, quas barbarus hoſtis

(a) *Leo Imp. Imperialis Cinuzz Senens. Bernardin. Mendoza. Henric. Dux Rohan.* (b) *Valer Max.* 2. *c.* 7. *Beſold. de bell. c.* 7. *Boter.* 9. *della rag. di ſtat.* 10. *Phil. Camer. in Meditat. hiſt.* (c) *Ex lib.* 1. *de vita Conſalvi:*

hostis invexit, mentem cunctis eripuissent, nulla profecto collata huic nostræ, vel militum vel ducum ferocior ætas extitisset. Etenim vigentis Reip. atque ipsorum Augustorum inexhaustæ opes, felixque ille & salutaris Italiæ consensus, mediocribus sæpe viris, qui vel sorte magistratum iniissent, admirabiles victorias triumphosque pepererunt. At nostræ tempestatis imperatoribus aliam rerum faciem infensissimi seculi fortuna prorsus ostendit: quibus sæpenumero suum militem in officio continuisse aliquanto difficilius fuit, quam hostes periculosis Martis operibus devicisse. Adeo enim militarem disciplinam vel tenuitate opum Italiæ, importuna Regulorum multitudine laborantis, vel diuturno exitialis negligentiæ morbo affectam prostratamque conspicimus, 'ut jam ea ab externis gentibus imitatione parum decora, postquam fatali desidia concidimus, repetenda videatur. Nam si, quo militum obsequio, qua centurionum, præfectorumque religione, qua imperatorum severitate constiterit, animo reputare velimus, paucos certe verorum militum nomine dignos esse censebimus. Inveterato namque fatiscentis hujus seculi vitio, si qui sunt ingenui, vel à mediocri fortuna non ignobiles,

biles, qui vires atque animos militiæ idoneos afferre videantur, ii ante omnia pedibus ſtipendia merere, quod multo glorioſis majoribus fuit, longe turpiſſimum ducunt. quo fit, ut ex peſſimo, ſervilique genere hominum, legiones conſcribantur, temerario potius impetu, quam certa ratione pugnaturæ; aut ignaviâ turpique flagitio prodituræ ducem, in cujus manu atque conſilio gerendi belli ſumma conſtiterit. Nec id mirum videtur, cum milites linguarum ac morum varietate diſſimiles non unum omnes militandi finem reſpiciant; nec ſenſibus inter ſe conjungi, nec à ducibus regi poſſint; niſi vim imperii, quod reverentiâ, quam ſeveritate validius ſemper fuit, atrocibus exemplis, præſentibuſque ſuppliciis, fœdatâ ſæpe nominis Majeſtate. experiantur. Quis enim vel divinæ virtutis imperator rem bellicam ratione gubernaverit, cum milites accepto ſtipendio ſæpe transfugiant, opus militare detrectent, in agmine prædentur, in caſtris nec vini, nec obſonii quidem recentis deſiderium patienter ferant; atque in acie demum canente claſſico inſtanteque hoſte ſtipendium flagitare non erubeſcant? Porro quis leviſſimâ ſæpe de cauſa conſternatis, quis contuma-
cibus,

cibus, quis seditiosis desertoribusque pepercerit? Quis hæc unquam militum errata, prænuncia calamitatis & cladis, ingenio, prudentiaque correxerit? Per has ergo labantis disciplinæ difficultates, nostræ tempestatis ducibus, ærumnoso quodam labore fuit eluctandum: ita ut nulli sit dubium, quin innatæ eorum virtuti, & ad summum proculdubio bellicæ laudis fastigium contendenti, eæ plurimum offecerint. &c.

Pace longâ segnes] Pax longa frangit, enervat, evirat animos, & Luxum virtuti subrogat. Prudenter poëta:

Nunc patimur longæ pacis mala: sævior armis
Luxuria incubuit, victumq; ulciscitur orbem.

Longam pacem, opes & luxum magnarum urbium, populorumque ruinas præcedere illarum, quæ Burgundiæ Ducibus olim parebant, gentium exemplo docet Cominæus, primo Commentariorum: qui præterea alibi (*a*) sapienter monet, postquam Principes longo tempore omni rerum affluentiâ & prosperitate usi, ad animum minime revocant, Dei beneficentia ista provenire, Numen ingratitudini castigandæ bella immittere.

His

(a) 1. *Comment.* 7.

His conſequens eſt, neceſſariam belli meditationem etiam in pace eſſe : & Principem ſine bello quidem, nunquam ſine armis eſſe debere : qua de re alibi (*a*) diſſerui, & porro diſſerendi locus erit ad XV. Annal. (*b*) Pertinet huc, quod pariter alibi (*c*) monuimus, quibuſdam principibus inter artes infringendi ferociam ſubjectorum fuiſſe, arma adimere, duella prohibere, contra literarum ſtudiis, voluptatum illecebris, ac vitiorum delinimentis imbuere : quo ſenſu apud Tacitum (*d*) ex Germanis quidam dixit, Romanos plus voluptatibus adverſus ſubjectos, quam armis valere.

Poſtremo Turcarum quoque mos huc ſpectat, quo deſultorio quodam ſtudio nunc hunc nunc illum ſubito bello laceſſunt; quod, ubi aliquod operæ precium fecerunt, mox alio transferunt: cujus conſilii rationes explicare me memini ad I. Annal. (*e*)

Exemplum omnibus oſtendere] Quantum exempla principum ducumque in animis ſubditorum ac militum valeant, quia à Flori-

---

(a) *Hypomn.* I. *& Not. ad* 4. *annal.* (b) *Cap.* I. (c) *Not. ad* I. *annal. p.* 93 *& ſeqq.* (d) 4. *Hiſt.* 64. (e) *Pag.* 42.

rilegulis omnibus tractatum est, ego dictum dicere nolo.

Remedium severitate quæsitum est] Vide mea ad XI. annal. (*)

Usu salubre & misericordiâ melius apparuit] Aspero enim & abscisso castigationis genere militaris disciplina indiget: quia vires armis constant: quæ ubi à recto tramite desciverunt, oppressura sunt, nisi opprimantur. (†)

CAP. XXXVII.

Antiochum Regem monet, proximas sibi præfecturas petere] Frequentissima & utilissima solertia est, hostem hosti suo suscitare: qua arte avorum memoria maxime valuit Ludovicus XI. Galliæ Rex. *(a)* Etiam qui ipsi hostilem animum minime profitentur, metu forsan, an quia aliis bellantibus belli exitum expectare tutius putant, pecunia, armis, consilio instruunt audentiorem; clam quidem, ac veluti dubitantes inter initia, uti ancipitia, & fortassis culpæ obnoxia; cæterum ubi res ex voto procedunt, Victoris nomen non erubescendum ipsi quoque palam agnoscunt.

(*) *C.* 18. (†) *Valer. Max.* 2. *c.* 7.
(a) *Comin. passim.*

ſcunt. Elizabetha Angliæ Regina Caſimirum Palatinum ad bellum Belgicum inſtruens, per ſpeciem auxilii ipſa Belgio inhiare credebatur.(a) Senatus Venetus ſæpe aliàs, & poſtremo bello Monferratenſi Mantuani primum, dein Sabaudi inopiam numis ſublevavit: minori ſuo detrimento putans hoſtem in alieno diſtineri quam è ſuo repelli, ſimul indubitatum habens apud illum belli paciſque arbitrium futurum, qui exercitus procul à ſuis finibus ſuſtentaſſet. (b) Nuper denique Galli cum ipſi metu, an verecundiâ? victricia Auſtriacorum arma in ſe provocare nollent, Guſtavum Adolphum Sueciæ Regem, ſui & futuri ſeculi ſine vitio monſtrum Auſtriacis hoſtem adornarunt.

Pharaſmanes interfecto filio Rhadamiſto] Nota, qui patruum, ſocerum, ſororem & uxorem occiderat, occiditur à patre.

Diſcite juſtitiam moniti & non temnere divos!

Quia cauſâ, quam vi agere mallent] Quæ hic Tiridates, ea Vologeſes iiſdem pene verbis poſtea teſtatus fuit; æquitate quam ſanguine, cauſa quam armis retinere parta majoribus voluiſſe: & modeſtiæ famam neque

(a) *Strad. de bell. Belg. lib.* 11. (b) *Poſſerin. hiſt. de bell. Monfer.*

neque summis mortalium spernendam esse, & à Diis æstimari. (*a*)

Satis comperto, Vologesen defectione Hyrcaniæ attineri] Ad hunc locum Scipio Amiratus (*b*) præceptum tradit, verso in unum hostem bello, cum cæteris pacem aut inducias habendas esse. quod ego quoque alibi monui. (*c*)

Posse illi regnum stabile, & res incruentas contingere, si omissâ spe longinquâ & serâ, præsentem potioremque sequeretur] Id alibi (*d*) Tacitus appellat, *tuta & præsentia quam vetera & periculosa malle.* & alio loco: (*e*) *pro certis & olim partis nova, ambigua, ancipitia malle.* Fidissimum sane neque hostile consilium Corbulonis fuit, precibus Cæsari extorquere, quod armis Tiridates nequibat. Cui illud affine est, in controversiis & litibus cum vicinis, potentiâ prævalidis tutissimum esse, partis cessione transigere: nec unquam dispendiosum credere, pecuniâ aut aliquot oppidorum jacturâ pacem redimere. Nam præterquam, quod cætera firmantur, etiam bellum vitasse, omnem impensam facile compensat. Fac enim tuis aut sociorum armis æmulum a-

O pecto

(a) *Tac.* 16. *annal.* 2. (b) *Lib.* 13. *cap.* 4.
(c) *Not. ad* 1. *Annal.* 10. *&* *ad lib.* 12. *c.* 32.
(d) 1. *Annal.* 2. (e) 25 *Annal.* 29.

perto bello ſubmoveri poſſe, ne ſui juris faciat tuam ditionem: quo minus tamen perpetuo exerceat, laceret, perdat fructuſque ac reditus in militem, arces, exploratores, commeatum, tormenta abſumere neceſſe ſit, facere non poſſunt. Plane neceſſum eſt, ut qui domi ſuæ bellum habet, omiſſa pagorum, & plerorunque oppidorum curâ ad duorum aut trium locorum tutelam omnes vires contrahat. Compoſitis contra rebus non, ut inter ſuſpectæ fidei vicinos, præſidiis, non milite opus. Securi & nullis impenſis delibati reditus. vita ipſa non ſolicitudine gravis, non curis anxia erit. Superioribus annis Franciſco Mantuæ Duci ſuadebant plerique, duraturas perpetuo vexationes, & paratas in omnem poſteritatem à Sabaudo ſocero inſidias notabili licet controverſi Monferrati portione redimeret, quo cæteris ſecuritatas eſſet, & tuta in poſteros provinciæ poſſeſſio tranſiret. Eſſe, quæ levi imminutione finium concedi poſſint, divulſa à reliquo corpore, & ad quæ niſi per hoſtilē agrū acceſſus pateret, nec ex his fructus niſi tenuiſſimos. Etiam labare ſubditorū obſequium diſtantiâ, &, quoties urgerentur, parato in vicinum receptu. (a) At Franciſcus non opi-

(a) 4. *Hiſt.* 74.

opibus, non viribus, neque milite Sabaudo par, cum nutrire noxia cunctatione sua discrimina, quam consulere domui potius haberet, sibi posterisque maximorum malorum author fuit: quæ præcipuâ prudentiâ in historiarum libris exequuti sunt Petrus Ioannes Capriata, & Antonius Possevinus. (*)

CAP. XXXVIII.

Q*Uia commeantibus invicem nunciis* &c.] De his quæ ad pacis tractandæ artem & solertiam pertinent, videsis, quæ notabimus ad decimum quintum annal. (*a*) . *Placitum dehinc, quia commeantibus invicem nunciis nihil in summa pacis, proficiebatur, colloquio ipsorum tempus locumque destinari.*] Quando ipsos Principes colloquiis, quando per ministros transigere negocia utilius sit, tractabo, si Deo videbitur, ad quintum decimum annalium. (*b*)

.*Prior Corbulo.*] Vide Nostra ad secundum annal. (*c*).

CAP. XXXIX.

N*Eque commeatibus vim facere potuit*] De solertia expediendorum impe-

(*) 2. *Hist.* 85. (a) *Cap.* 5. (b) *Cap.* 29. (c) P. 175. & *seqq.*

diendorumve commeatuum videndi Io. Boterus, (*) Scipio Amiratus, (†) & qui omnes belli artes percalluit, Henricus Dux Rohanus. (‡)

CAP. XL.

Iridates pudore & metu] Negligere urbis obsessæ salutem famam ducis ac partium imminuit. Quæ ratio tanti sæpe fuit, ut cuncta in aleam & præcipitium dare magni duces maluerint, quam suo in conspectu magnam aliquam urbem obsideri, capique. Isto argumento Alphonsum Lusitaniæ Regem Ferdinando & Isabellæ Regibus adversi Proceres Hispaniæ ad Burgensis arcis obsidionem solvendam hortabantur: si castellum istud, à quo tanquam à capite Hispaniæ regnum Castella cognominetur, in hostium potestatem perveniret, actum esse de Lusitanica factione: cum utriusque partis fautores, in hoc unum certamen oculos conjecerint, inclinaturos omnes ad victorem studia sua. (*a*) Istam ob rationem, captis superioribus annis Ratisbona, & Donaverda à Cæsarianis, obsessaque Norlinga, Suecicarum partium

(*) 6. *Della rag. di stat.* 12. (†) 13. *Disc.* 5. (‡) *Lib. de bell. cap.* 16. (a) *Æl. Nebrissens hist. dec.* 1. *lib.* 4.

tium fortunam, cujus famam senescere videbat, in casum dare voluit (& revera dedit, celebri; sed infelici commissa pugna) Bernardus Saxoniæ Dux; reclamante quamvis, neque eam rationem probante Gustavo Hornio. Accedunt sæpe circumstantiæ, quæ pondus addunt: ut cum Tacitus alicubi ad famam partium pertinuisse ait, duci hostium ereptam patriam: & quod Protestantium bello, Augusta Vindelicorum, Augustanæ Confessionis incunabulis nobilis civitas à Carolo v. Imperatore capta fuerat.

Viæ pariter & pugnæ compesuerat exercitum] De modis secure conducendi per hosticum militis, vide, quem paulo antè notavi, Henricum Ducem Rohanum libello de bello, capite quinto.

CAP. XLI.

A*Rtaxatis ignis immissus: deletaque & solo æquata sunt: quia nec teneri sine valido præsidio* &c.] Vti Status, ita Belli Ratio principibus ducibusque nostri ævi perpetuo in ore est: qua pleraque crudelitatis atque injustitiæ famam incurrentia aut commendant, aut excusant. Idque vocabulum cupiditati nostræ patrocinium re-

pertum, raro minus late quam hanc patere, veriſſime Incomparabilis Heinſius (*a*) dixit. Exemplum antiquitas præbuit, quæ loca, quæ ob magnitudinem mœnium ſine valido præſidio teneri nequibant, igne immiſſo, vel aliter ſolo æquabat. (*b*) Cui ſimile eſt, quod Tacitus de Vſpenſibus refert, (*c*) veniam liberis corporibus orantibus, ſervitii decem millibus oblatis, quia trucidare deditos ſævum, tantam multitudinem cuſtodiâ cingere arduum; aſpernatos Victores condicionem; ut belli potius jure caderent. Humanius eſt mitiuſque, mediocria civitatum ſpatia impoſito præſidio retinere, arma civibus adimere: vel, ubi locorum amplitudo, & habitatorum numerus ſecuritatem præſidii morantur, ſubrutis mœniis ac munimentis, civibus animos, hoſti commoditatem, ac nocendi occaſionem demere. Vtriuſque plura exempla in bello Senenſi notat Io. Baptiſta Hadrianus duodecimo & tertiodecimo hiſtoriarum. Conſtantinus Imperator deditos juſſit arma ponere: & quia tanto numero tot vincula, quæ continere militares & paulo ante armatas manus poſſent, deerant, de gladiis eorum gemina manibus aptari

(a) *Hiſtor-Sylvæ duc.* (b) *Tac.hic.* (c) *Tac.* 12. *annal.* 17.

aptari clauſtra juſſit: ut ſervarent deditos gladii ſui, quos non defenderant repugnantes. (*a*) Verum non in iſta tantum captarum urbium, ſed & pluribus aliis rerum negociorumque ſpeciebus ſæpius comprobatum eſt, regnandi rationem à juſtitiæ regula ingenti divortio abire. Inſigne inter alia, quæ ſibi potentiores arrogant, jura eſt, quo minores, quibus munita oppida, arces, caſtella tenentur, nullæ tamen idoneæ ad vim hoſtilem arcendam vires opeſque ſunt, ad ceſſionem ejuſmodi locorum vel invitos adſtringunt. Quomodo Carolus v. Imperator Coſmi Medicæi ſuaſu Appianos Plombini dominos, ne ſcil. Galli loco potirentur, ex arce in oppidum reluctantes, querentes, Deum hominumque fidem obteſtantes emigrare coëgit. (*b*) Superioribus annis Mantuani Ducatus ſucceſſione Carolū Niverniū Cæſar & Hiſpani arcuerunt; nullis aliis cauſis, niſi quod principemGallico ingenio imbutumMediolano vicinum habere non conduceret. Poſſeſſionem regni Bohemici à Friderico Palatino uſurpatam injuſtiſſimam fuiſſe, nec illi, qui ejus auctores fuerunt, nunc negare poſſunt. Neque tamen unquam commo-

(a) *Incert. Panegyr. Conſtantino.* (b) *Io.Bapt. Hadrian. 5. & 6. hiſt.*

dior occasio fuit minuendæ potentiæ Austriacæ, si majorem Galliæ & Angliæ Reges, ac Germani Principes utilitatis quam justitiæ rationem habuissent. *(a)* Igitur dum flagitio participare abnuunt, Austriacam potentiam, Germaniæ gravem, in majus provexêre. Quod si uti occasione voluissent, justitiæ & æquitati satisfactum minime fuisset. Ferdinando II. Imperatori post debellatos in Imperio hostes suos nec in armis persistere justitiæ, nec dimittere exercitus regni & potentiæ servandæ ratio permittebat. Postquam Electorum precibus cedens exauthoravit militem, statim Gustavus Adolfus & qui metu ac terrore hactenus continebantur, in ultionem consurrexerunt. Quanquam & alius Cæsaris error fuit, qui res ejus pessumdedit: quem supra tetigi ad XII. annal. *(b)* Militabat superioribus annis eidem Ferdinando Imperatori Edoardus Bragantinus, Joannis, qui Lusitaniam Hispanis nuper subtraxit, frater, egregiâ fortitudinis & fidei laude. Aberat Edoardus non à consiliis modo, sed à notitia quoque rebellionis, & pervenerat fama motarum in Lusi-

(a) *V. Duc. Rohan. de l'Interest des Princes part. 2. c. 6.* (b) *Cap. 32.*

Lusitania rerum ad ministros in aula Cæsarea Hispanicos, priusquam Edoardus quicquam inde resciſceret. Igitur illi, Joannis infirmæ ætatis liberos, & solum recentis potentiæ munimentum Edoardum reputantes, Cæsarem aggrediuntur, metum, pericula, & unum istorum remedium ingerentes, carcerem & vincula. Renuebat Cæsar pro egregia tot annis sibi præstitâ fide, nefandam ingratitudinem reddere, & sceleri debita supplicia innocentiæ irrogare. Neque sufficiebat animus. sævitiæ, ni Hispani Didacum Chirogam, Capucinum, Imperatricis conscientiam regere solitum subornassent, qui sine Numinis offensa pro regni salute Injustum esse licere tandem Optimo Principi persuasit; indignantibus plerisque, leges hospitales, fidem publicam, libertatem Imperii, Germanici Hispanorum crudelitati posthaberi. (a)

CAP. XLII.

TErribilis ac Venalis] Id genus hominum, vel noxiarum potius bestiarum ingenium, mores, artes depinxi, ad 1. annal. (a)

Extrema senectâ liber] Nam istâ ætate &

(*) *Victor. Sir. tom. 1. lib. 2. hist.* (a) *P. 112. & aliquot seqq.*

te & fortissimum & potentioribus maledicere & tutissimum: quorum ira materiam sæviendi perquam exiguam habet, parvulum vitæ tempus ablatura. (*)

Studiis inertibus, & juvenum imperitiæ suetum] Vide quę supra ad hunc librum.(†)

Omnia potius toleraturum, quam veterem ac diu partam dignationem subitæ felicitati submitteret] Insitum quippi mortalibus est, recentem aliorum felicitatem ægris oculis introspicere; modumque fortunæ à nullis magis exigere, quam quos in æquo videre. (‡)

CAP. XLIII.

OMnemque Claudii sævitiam Suilio objectabant:] Et: *Puniendos rerum atrocium ministros*] Vide nostra ad primum Annalium (a) & quæ illis addemus ad decimum quartum. (b)

Filio & nepti pars concedebatur] Scripsit Jul. Paulus JC. librum singularem de portionibus, quæ liberis damnatorum conceduntur; cujus fragmentum in Pandectis extat: (c) & transferenda sunt in hunc locum;

(*) *Valer. Max. 6. cap. 2. ubi vide exempla de Helvio Mancia Formiano, & M. Castricio.*

(†) *Cap. 14.* (‡) *Tac. 2. hist. 2c.* (a) *P. 22.* (b) *C. 62.* (c) *L. 7. D. de bon. damnat.*

cum, quæ Henricus Valesius, Vir doctissimus notavit ad Ammianum Marcellinum. (*)

CAP. XLIV.

PONtiæ amore vecors] Quibus similes historiæ placent in miraculum & stuporem legentium vel fictæ vel exornatæ, iis tragicarum narrationum scriptores, Bandellum, Belleforestum, Rossetum, Boccatium & Gyraldum in Hecatummythis adire licet: quibus addi poterit Guicciardinus tertio historiarum de Duce Candiano & Cardinali Valentino, & in fine sexti de Hippolyto ac Julio Atestinis

CAP. XLV.

HUic mulieri cuncta alia fuere, præter honestum animum] Poppææ nondum Augustæ, ejusque morum exemplar expressit superiori seculo in Aula Gallica Diana Valentina: cujus supra ad librum XII. (a) mentionem feci.

Maritos & adulteros non distinguens: neque affectui suo aut alieno obnoxia, unde utilitas ostenderetur, illuc libidinem transferebat] Adulteria in aulis potentiæ quæren-

(*) Pag. 381. (a) Cap. 7.

dæ aut ſervandæ inſtrumenta haberi, docui ad tertium(*) & duodecimum(†) ann.

CAP. XLVI.

AC *ſi eadem femina potirentur, id quoque vinculum potentiam ei adjiceret*] Quod contra vertit. Nam dejectus familiaritate ſuetâ, poſt congreſſu & comitatu Otho: & poſtremo, ne in urbe æmulatus ageret, provinciæ Luſitaniæ præfectus fuit. (*a*) Qui maritum lenonem volebat, eundem corrivalem non ferebat. Adde quæ ad quintumdecimum notabo. (*b*)

Provinciæ Luſitaniæ præficitur] Pervulgatam Aulæ calliditatem, inviſos aut ſuſpectos legationum aut alius honoris ſpecie amoliendi, ad ſecundum Annal. (*c*) notavi. In Aulis proximi favori & præmiis ſunt, qui ſub oculis principis perpetuo agunt. In Rebuſpub. illorum potior condicio eſt, quibus adminiſtrandis provinciis larga opum quærendarum ſeges obtingit. Neque tamen perpetuam iſtam, & ſine exceptione diſtinctionem aſſeruerim. Nam & in Au-

(*) *C.* 7. (†) *C.* 25. (a) *Tac.* 13. *annal.* 46.
(b) *Cap.* 68. (c) *Ad* 3. *annal.* 30.

Aulis alia distinctione res expedienda est, ut qui primum, aut à primo proximum gratia principis locum, & rerum arbitria obtinent, nunquam loco pelli æquo animo ferant; cæteri, qui non in summo consistunt, provincias, & legationes non inviti sortiantur: & viceversâ in Rebuspub. quoque præstantes viros pravis consiliis obstaturos ad externas administrationes civitatibus suis extrudi haut insolens est. Quomodo P. Clodius sub honorificentissimo ministerii titulo M. Catonem à Repub. relegavit. quippe legem tulit, ut is quæstor cum jure prætorio, adjecto etiam quæstore mitteretur in insulam Cyprum, ad spoliandum regno Ptolomæum. *(a)* Geminum huic artificium est; prætextu ætatis ac laborum, & benevolentiæ domum remittere, quorum Aulam pertæduit. Ita Annam Mommorantium Francisco I. & Henrico II. Regibus carissimum Franciscus II. Matris Catharinæ & Guisiorum instinctu, qui virtutem ac prudentiam viri, uti novæ potentiæ adversam oderant, metuebantque, ex Aulâ demisit; senio & meritis id se

(a) *Vellej. Paterc. 2. hist. 45.*

id se tribuere asserens. Ætatem istam non ultra laboribus atterendam. maximis tantum rerum momentis seponi debere. Fixum Regi esse, non ut ministrum negociis fatigare, sed patris instar colere. (*)

Sunt, qui variis causis ipsi Aulâ se subducunt: de quibus alibi differendi locus erit. (†)

CAP. XLVII.

S*Uspectabat Cornel. Syllam, socors ingenium ejus in contrarium trahens, callidumque & simulatorem interpretando*]. Et istud olim à me notatum (*a*) memini, somni & inertiæ ostentatione quosdam magni ingenii & magnæ fortunæ pericula effugisse; & multis segnitiem pro sapientiâ fuisse. Quæ tamen simulatio tunc tantummodo tuta est, cum creditur. Nam postquam intelligitur, periculum accelerat. Nero socors Syllę ingenium in contrarium trahebat. Domitianus Titi fratris mitiorem naturam contra interpretabatur. (*b*) Guisiorum & Ligistarum factio Henrici III. Regis affectatam sub religionis exercitiis

(*) *Henr. Davil.* 1. *bell. civil.* (†) *Ad lib.* 14. *c.* 53. (a) *Ad* 3. *annal.* 30. (b) *Tac.* 4. *hist. in fin.*

citiis & deliciis aulicis incuriam suspectantes, prævenire imminentia pericula, quam præveniri maluerunt. (*)

Quem metum Graptus &c. *intendit*] Rimari metus principis & intendere, Sycophantismus est: quem ex latebris produxi supra ad hunc librum. (†)

Despecta, & nullius ausi capax natura] Vide quæ notavi ad initium hujus libri.

CAP. XLVIII.

ILli vim multitudinis, hi magistratuum, & primi cujusque avaritiam increpantes] Ista rerump. omnium, sed magnarum præcipue tinea est, ea labes, & factionum atque dissidiorum radix: hinc certamina potentium, arrogantia nobilium, & avaritia magistratuum, inde plebis insolentia, atque vis multitudinis. Vtriusque frequentissima exempla occurrunt in Rebuspub. Romana & Atheniensi, Florentina & Genuensi. Licentiæ popularis præter infinita alia, singulare documentum exhibet Phil. Cominæus quinto Commentariorum. Totum hoc argumentum utilissima subtilitate tractat Macchiavellus libro primo dissertationum ad Livium. (a)

Quia

(*) *Davil.6.& 7.hist.* (†) *C.*19. (a) *C.*2.3.4.5.6.

Quia severitatem ejus non tolerabant] De factionum remediis ad librum XI. egimus. Illud hic notandum occurrit, severitatem, & parvis magnisque delictis æque inexorabilem, magis exercituum ductoribus, quorum abrupta, neque interpretationem recipientia sunt imperia, convenire, quam magistratibus, provinciarumque rectoribus; qui æqua juris administratione, atq; moderatione plura quam vi exequuntur. Differentiam istam eleganter explicat in Satyricis commentationibus Trajanus Boccalinus. (*a*) Exempla infeliciter per asperitatem ac sævitiam administratæ provinciæ sunt in recenti historia Dux Albanus in Belgio, (*b*) & Sobolla Gallus apud Mediomatrices. (*c*)

Datâ præterea cohorte cujus terrore & paucorum supplicio rediit oppidanis concordia] Inermes leges, jussaque præsidio destituta vana plerunque sunt & effectu carentia: quia apud plerosque plus pœnæ metus quam obsequii amor potest. Eodem plane modo, quo hic Puteolani, alibi (*d*) Campania discordibus municipiorum animis com-

(a) 1 *Cent.* 1. *c.* 12. & *cent.* 2. *c.* 63.
(b) *Hieron. Conestag. Nic. Burgund. Fam. Strad. in hist. Belg.* (c) *Petr. Matthæ.* 6. *hist.*
(d) *Tac.* 4. *hist.* 3.

composita memoratur, misso Lucilio Basso cum expedito equite. & statim viso milite quies. Genuâ (quæ tunc Francici juris erat) per factiones tumultuante missus â Rege Philippus Ravestenius cum CL. equitibus, & 1ɔcc. peditibus; sed inutili remedio; quia malo impar erat. (*a*) Cosmus Medices Pistoriensium inCancellarios & Panciaticos divisos animos in concordiam reduci posse rebatur, misso Ludovico Guicciardino, austeræ severitatis viro. At is frustra fuit, quia milite destituebatur. (*b*) Florentinâ Repub. in Nobilium & Plebejorum factiones scissâ, invalido contra potentiores legum auxilio, Vexillifer Justitiæ creatus fuit; eique sub xx. signis mille cives attributi, qui justitiæ & innocentiæ præsidio essent. (*c*)

Cap. XLIX.

Magnarum rerum curam non dissimulaturos, qui animum etiam levissimis adverterent] Fallitur Pætus. Verius est,& experientiâ comprobatum, magnarum rerum curæ non sufficere, qui animum etiam levissimis advertunt. Id

(a) *Guicciard. 7. hist.* (b) *Io. Bapt. Hadrian. 1. hist.* (c) *Macchiav. 2. hist. Flor.*

Id quod, si Deo videbitur, alibi docebo.

CAP. L.

D*Issolutionem imperii docendo, si fructus, quibus Resp. sustineretur, deminuerentur*] Nam neque quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi queunt. (*a*)

Ut ratio quæstuum & necessitas erogationum inter se congruerent] Quippe nulla tributa legitima sunt, nisi quanta necessitas erogationum requirit; nulla erogatio justa, nisi quam quæstuum, redituum, tributorumque modus permittit.

CAP. LI.

E*Rgo edixit Princeps* &c.] Nota cautiones temperandis, frænandisque publicanorum fraudibus. I. ut leges cujusque publici, & quantum quæ merces vectigalis nomine penderent, occultæ ad id tempus, publice prostarent. II. Ne omissas petitiones ultra annum resumerent. III. Magistratus jura adversus publicanos extra ordinem redderent. IV. Militibus immunitas servaretur. Addenda ob rei similitudinem,

(*a*) *Tac.* 4. *hist.* 74.

dinem, quæ coërcendis negociatorum cupidinibus in Senatu Mantuano, Ludovico principe coram, aliquando agitata ſcribit. Antonius Poſſevinus, quarto hiſtoriæ Mantuanæ. Qui avaritiam inſectabantur, inter paucos quæſtum & opes, atque univerſa libidine vendentium tranſigi querebantur. Intereſſe Reip: ut juſto precio neceſſaria comparentur. id nulla mercatorum modeſtiâ, ſed legum authoritate obtineri poſſe. Quod ſi iis indulgendum ſit, qui terrâ, marique disjecti, peregrinas urbi merces inferrent; illos ſaltem cohercendos, qui domi nata ſummâ ſecuritate ac minimâ impenſa illata civibus intolerabili pretio vendunt. Negociatores contra veteri uſu nitebantur: quo cuique licitum fuiſſet, rem ſuam, quanti libuiſſet, diſtrahere. Neminem ad emendum cogi. plurima luxum ac ornatum ſpectare: quæ ut non haberi citra damnum ſit, ita comparari abſque vendentium injuria deceat. Crudas hyemes, exercitas æſtates, maria, flumina, latrones, naufragia, labores, & ex mercibus ipſis diſpendium, putredinem, corruptionem, difficiles ac moroſas diſtractiones ſuo pretio æſtimanda. Princeps mercandis alimentis modum impoſuit, quo Venditores perpetuo uterentur: pe-

regrina, quæ non necessitati, sed luxui comparabantur, mercatorum arbitrio permisit; ut saltem pretii magnitudine bona paterna haurientes, modestius ambirent.

Brevi servata, dein frustra habita sunt] Vt aliarum rerum, ita legum quoque acria initia sunt, incuriosus finis: *(a)* & nova jura sæpe constituuntur, Ostentui magis quam mansura. Quo sensu Tacitus XII. Annalium de Mathematicis Italiâ pellendis SC. factum ait, *atrox & irritum.* At ridiculæ sunt leges, quæ in eadem, qua sanciuntur, curiâ violantur, & in suis veluti cunis moriuntur. *(b)* Vnde illud Macchiavelli præceptum deducitur, leges, aliaque de reb. publicis privatisque statuta crebro ad sua initia revocanda esse. *(c)*

Temperata apud transmarinas provincias frumenti subvectio.] Vide ad intellectum hujus loci Justinianeum Codicem lib. XI. tit. I. II. III. IV. V. XX. XXVI. & XXVII.

CAP. LIII.

NE *tamen segnem militē attinerent* &c.] Suspectâ pace, aut induciis in certum tempus

(a) *Tac. 6. annal.* 17. (b) *Tac. 1. hist.* 78.
(c) *Macchiav. 3. discours. 1. Boccalin. cent. 1. c. 5. §. Pietro Crinito. & c. 14. Forst. Not. ad 5. Annal. verb.* acrib. ut ferme talia, initiis.

tempus pactis, dimittere & exauctorare omnem militiam, minime tutum est. Quãobrem prudentes Principes minorem pecuniæ quam militis jacturam rati, non cuivis promiscue missionem dant, sed plerosque sub signis retentos publicæ securitati aut necessitatibus invigilare volunt. Ludovicus Gonzaga senes & bello inutiles, provisis in totam vitam alimentis ad sua dimisit. qui viridi adhuc ævo stipendia facere volebant, præsidio civitatum impositi. juvenes diurno denario, quanquam pax esset, tanquam bello retenti: ut ducendis fossis, expurgando Mincio, dilatandis portubus insudarent. *(a)* Alii, quibus, minuendis sumtibus exercitus partem exauctorare visum fuit, illos dimiserunt, qui stipendiis sueti, ubi opus fuerit, facili negocio iterum in militiam adlegi possunt; retentis qui difficulter in numeros redituri credebantur. Ita post duodecennales in Belgio inducias factas exauctorati ab Hispanis fuerunt omnes Germani, tanquam mercenariæ militiæ nunquam defuturi; & retenti Hispani, Itali, Burgundi & Hiberni. *(b)*

Mosellam atq; Ararim connectere parabat] Vide

(a) *Possevin. 4. hist. Mant.* (b) *Cardin. Bentivol, Relat.*

Vide Nostra ad primum Annal. (*a*) quibus adde irritorum ejusmodi conatuum alia exempla apud Gregorium Richterum (*b*) Nauclerum (*c*) Guicciardinum, (*d*) Possevinum, (*e*) & Andream Brunnerum. (*f*)

Formidolosum id Imperatori] Duas ob causas. Nam & magna fama, quam insigniopere perfecto quæsiturus Vetus videbatur, non minus ac mala exitiosa erat: (*g*) & studia civium, militum, provincialium non ministro, sed principi debentur.

CAP. XLIV.

IN *quantum Germani regnantur*] Nec enim Regibus Germanorum infinita aut libera potestas: & duces exemplo potius quam imperio, si prompti, si conspicui, si ante aciem agant, admiratione præsunt. (*) Et regno Arsacis acrior Germanorum libertas. (†) De forma qua hodie Imperium Romano-Germanicum continetur, clarissimi viri opinionibus diversi, argumentis, & haut raro conviciis inter se digladiantur; Io. Bodinus, Theodorus Reinkingus,

(a) *P.* 129. (b) *Axiom polit.* 306.
(c) *Geverat* 28. (d) 6. & 15. *hist.*
(e) 5. *Hist Mantuan.* (f) 3 & 6. *annal. Bojor.*
(g) *Tac. Agric.* 5. (*) *Tac. Germ.* 7. (†) *Tac Germ.* 37.

kingus, Io. Limnæus, & qui ſub commentitio Hippolyti à Lapide nomine non ſatis tuto latet. Ego iſtam litem meam non facio. Illud tamen monendum habeo, vix ſolido fundamento niti, qui tantam controverſiam ſolis exemplis definiri poſſe arbitrantur. Nam cum illa diverſorum temporum non unam Cæſarum, ac Procerum, ſed modo majorem, modo minorem auctoritatem poteſtatemque demonſtrent; nihil aliud inde inferri poteſt quam aliis temporibus aliam Reip. Germanicæ formam viguiſſe. Illud in univerſum obſervaſſe mihi videor, ſub potentibus & bellicoſis Principibus intentiorem dominationem fuiſſe; contra ſub inertibus, aut invalidis majorem procerum audentiam. Sub Carolo Magno, & Ottonibus regia manus. Vnus imperitabat, nullis exceptionibus, non precario jure parendi. Poſtquam verſa rerum facies, & Henrici Fridericique cum Pontificibus Romanis diſſidere cœperunt, Principum haut pauci Cæſaribus fidem & obſequium vendentes, immunitates extorquebant; quiſque ſibi; & quo ſociis potentia niteretur, etiam aliis.

Rodolfus Habſpurgius modicis initiis, contra Ottocari ferociam, liberis quoque provehendis favorem ſibi procerum conciliaturus;

ciliaturus; Carolus IV. Imperium Venceslao filio ambiens, omnia principibus largiebantur. Quæ ad Carolum usque quintum hujus nominis duraverunt: qui παμβασιλείας, quam postea Ferdinandus II: exædificasse videbatur, prima fundamenta denuo jecit. Quo jure, quave injuriâ istæ rerum mutationes contigerint, meum non est judicare. Credo tamen, rem duobus Taciti oraculis absolvi; quorum primum est, *sæpe possessores diutinâ licentiâ & injuriâ, quasi jure & æquo niti.* (a) Alterum: *nova & recentia jura in vetustatem consuetudine verti.* (b) Certam reip. formam dedisse, & sua Cæsari, sua Electoribus, cæterisque Ordinib. assignasse jura, cunctaque suis veluti finibus, limitibus, atque terminis, tollendis in futurum aut præcavendis litibus distinxisse videtur Pax nuper Monasterii & Osnabrugæ sancita. Sed & illa, ut cuncta humana, durabit, quamdiu necessum erit. Nam delecta ex pluribus & constituta Reip. forma, qualis illa Monasterii procusa, laudari facilius quam evenire, vel si evenit, haut diuturna esse potest. (c)

Nero

(a) *Tac.* 14. *annal.* 18. (b) *Tac.* 4. *hist.* 65.
(c) *Tac.* 4. *annal.* 33.

Nero civitate Romanâ ambos donavit; Frisios decedere agris jussit] Ita hodiequè mos obtinet, etiam hostium, & illorum, qui hactenus amici bellum nobis denunciant, aut quibus nos bellum denuntiamus, legatos abscedentes donis ac muneribus prosequi.

CAP. LV.

P*Ulsi à Chaucis, & sedis inopes tutum exilium orabant*] Quibus ex causis populi patriis sedibus relictis alias terras occupent, docet Macchiavellus secundo dissertationum *(a)* & primo historiæ Florentinæ. *(b)* Quo pertinet elegantissimus Q. Septimii Tertulliani locus libro libro de Anima. *(c)* Invenimus, inquit, apud commentarios etiam humanarum antiquitatum, paulatim humanum genus exuberasse, dum Aborigines, vel vagi, vel extorres, vel gloriosi quique occupant terras; ut Scythæ Parthicas, ut Amyclæ Peloponnesum, ut Athenienses Asiam, ut Phryges Italiam, ut Phœnices Africam: dum solennes etiam migrationes quas ἀποικίας appellant, consilio exonerandæ

 popu-

(a) *Cap.* 8. (b) *Ab init.* (c) *Cap.* 30. *edit. Rigalt.*

popularitatis, in alios fines examina gentis eructant. At Aborigines nunc in sedibus suis permanent, & alibi amplius gentilitatem fœneraverunt. Certe ipse quidē orbis in promptu est, cultior de die & instructior pristino. Omnia jā pervia, omnia nota, omnia negotiosa. Solitudines famosas retro fundi amœnissimi obliteraverūt: sylvas arva domuerunt: feras pecora fugaverunt: arenæ feruntur, saxa panguntur, paludes eliquantur: tantæ urbes jam, quātę non casæ quondam. Jam nec insulæ horrent, nec scopuli terrent. ubique domus, ubique populus, ubique respub. ubique vita. Summum testimonium frequentiæ humanæ; onerosi sumus mundo. Vix nobis elementa sufficiunt, & necessitates artiores, & querelæ apud omnes, dum jam nos natura non sustinet. Revera lues, & fames, & bella, & Voragines civitatum pro remedio deputanda, tanquam tonsura inolescentis generis humani. &c.

Sicut cœlum Diis, ita terras generi mortalium datas] Adi Grotium secundo de jure belli. (*a*)

CAP.

(a) *Cap.* 2. *sect.* 16. & 17.

CAP. LVI.

P*Atienda meliorum imperia.*] Id quidem naturæ, & rationi convenit, ut meliores sapientioresque cæteris imperent. (*a*) Verum aliud Anitus volebat, patienda nimirum majorum ac potentiorum imperia: sicut inter quadrupedes leo, & ursus, inter volucres aquila, & vultur, inter pisces cete & lupus, cuncta rapto viventia, regnum exercent.

Excidium minitans, nisi causam suam dissociarent] Qui cum tribus bellum habet, unum satisfactione, alterum minis à societate avellere, cum tertio bellum gerere debet.

Aliena pericula deserentibus] Vide Notas ad tertium annal. (*b*)

Super libidinem cuncta armis agendi] Nec enim arare terram, aut expectare annum tam facile Germanis persuaseris, quam vocare hostes, & vulnera mereri. pigrum quinimo & iners videtur, sudore acquirere, quod possis sanguine parare. (*c*)

Indulgentiâ numinum illo in amne illisque sylvis salem provenire] Ejusmodi Numinis libe-

(a) *Arist.* 1. *Polit.* (b) *Cap.* 15. (c) *Tac. Germ.* 11.

liberalitatem in privatum uſum traductam, aut tributis oneratam non ſine miraculo interdum evanuiſſe, pluribus exemplis firmat in Axiomatibus politicis Gregorius Richterus, (*a*) & libro de Vectigalib. Julius Cæſar Bulengerus. (*b*)

(a) *Cap.* 311. (b) *Cap.* 16.

FINIS.



RE-



RERUM PRÆCIPUARUM

INDEX.

B.

C.

C. Ca-

stupro

D.

E.

Galli,

Mor-

O.

P.

causa

Secu-

T.

FINIS.